De verborum cum praepositionibus compositorum usu Ammiani Marcellini.

Inaugural-Dissertation

zur

Erlangung der Doctorwürde

der

hohen philosophischen Fakultät

der

Friedrich-Alexander-Universität zu Erlangen

vorgelegt von

Franz Naumann.

Halle a. S.

Plötz'sche Buchdruckerei (R. Nietschmann).

MDCCCXCII.

Etsi emissis Eyssenhardtii et Gardthauseni editionibus, quibus certa quaestionum fundamenta constituta sunt, docti viri non defuerunt, qui studiis Ammianeis non solum magnam voluptatem, verum etiam haud exiguos fructus praebentibus diligentissime incumberent aut singulas usus et elocutionis partes perscrutantes[1]) aut in textu constituendo operam collocantes[2]) aut ad quae exemplaria orationem imitando applicuisset[3]) vel quibus de fontibus sive historicis sive geographicis materiam deprompsisset[4]) exquirere studentes, tamen plus una quaestio imprimis ad res grammaticas spectans, quae tractetur et requirat, ut ad Ammiani rationem dicendi accedamus, relicta est dignissima. Elegi igitur verba cum praepositionibus composita in iisque quae ratio esset Ammianea ostendere studui in comparationem vocato, ubi licuit, cum Ciceronis et Livii, tum Taciti usu, maxime his causis adductus, ut, cum e quaestionibus iam multis de aliis scriptoribus susceptis[5]) in

---

[1]) Kallenberg, qui paucis annis ante editiones commemoratas foras datas scripsit: „quaest. grammat. Ammianeae", diss. Hal. 1868 et accuratissime de infinitivi et particulae „quod" usu disseruit. — Hassenstein, de syntaxi Ammiani Marcellini, diss. Regimont. 1877. — Dederichs, quaestiones Ammianeae grammaticae et criticae, diss. Monast. 1878. — Reinhardt, de praeposit. usu apud Ammianum, diss. Hal. 1886. — Ehrismann, de temporum et modorum usu Ammianeo, diss. Argentor. 1886. — Reiter, de Ammiani Marcellini usu orationis obliquae, diss. Virceb. 1887. — Liesenberg, die Sprache des A. Marcellinus, progr. gymn. Blankenburg, 1888, 89, 90.

[2]) cfr. O. Guenther, quaest. Ammianeae criticae, diss. Gotting. 1888. p. 3 et 4.

[3]) ibid. p. 2.

[4]) ibid. p. 2 et 3.

[5]) cfr. Oesterberg, de structura verborum cum praepos. compositorum, quae exstant apud C. Valerium Flaccum P. Papinium Statium M. Valerium Martialem commentatio academica Upsal. 1883 p. 7 adnotat. 4, ubi commen-

verbis compositis construendis scriptores sibi haudquaquam constitisse dilucide appareat, quantopere Ammianus ut natione homo Graecus et posteriorum imperatorum Romanorum temporibus vitam eamque maximam partem castrensem degens etiam in hac re ab iis scriptoribus, quos eum imitandos sibi proposuisse constat et a quibus rationem loquendi multis in rebus esse diversam dissertationes supra exhibitae luculenter docent, discrepet quasque habeat res cum iis communes, cognoscatur.

Antequam ad rem ipsam accedam, hoc quidem loco et longum et supervacaneum esse arbitror explicare, quae verborum compositorum origo sit vel utrum verbi compositi membrum structuram dependentem efficiat, quippe quae quaestio novissimis temporibus ab Oesterbergio Teetzio aliis tam accurate et copiose exposita sit, ut nihil habeam, quod addam, atque ex qua ad structuras verborum compositorum Ammiani. in lucem edendas potissimum comparatas cum scriptoribus quos dixi nullum redundet adiumentum.

Jam de ratione huius opusculi pauca mihi dicenda sunt. Omnes fere docti viri, qui de verbis compositis commentationem conscripserunt, monendum esse duxerunt, verbis collectis nonnulla quoque se admiscuisse, quae vi praepositionis paene omni abiecta nihil fere a verbis simplicibus recederent itaque a re proposita proprie segreganda essent. Quorum ad rationem prorsus me applicui. Etenim tenendum censeo non ubique satis esse exploratum, utrum potestas praepositionis ad structuram habeat aliquid momenti necne, deinde non ingratum fore puto iis, qui in glossario ab omni parte absoluto conscribendo operam collocaturi sint, etiam eiusmodi locos in promptu habere.

Summo autem mihi adiumento fuerunt in dissertatione conficienda praeter libros doctissimorum virorum Draegeri „historische Syntax der lat. Spr.“ (Leipz. 1874), R. Kuehneri „ausführl. Grammat. d. lat. Spr.“ (Hannov. 1878), Haasei „Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft“ (Leipz. 1880) potissimum hi:

---

tationes doctorum virorum, qui de verbis compositis scripserunt, citatas invenies; quibus adde: Teetz, de verborum composit. apud Horatium structura, diss. Hal. 1885.

Hildebrandt, über diejenigen Zeitwörter, welche bei Cicero, Caesar u. Livius mit dem blossen Ablat. u. den Praepos. „ab, de, ex" verbunden werden, progr. gymn. Dortmund 1858 u. 59.

Lehmann, de verb. comp., quae apud Sallust., Caes., Tac. leguntur, cum dativo structura, diss. Urastisl. 1863.

— — de verborum comp., quae apud Sallust.; Caes.; Liv., Tac. leguntur, cum dativo structura commentatio; progr. gymn. Leobschuetz 1884.

Augustin, de usu dativi atque praepositionum in structura verborum compositorum, quae apud Ciceronem leguntur, progr. gymn. Ratib. 1869.

Kuehnast, Hauptpunkte der Livian. Syntax, 1872.

Ignatius, de verb. cum praepos. compos. apud Corn. Nep., T. Liv., Curt. Ruf. cum dativo structura, diss. Berol. 1877.

Klein, de verbis separandi apud Tacitum, diss. Hal. 1878.

Ceteros, qui mihi usui fuerunt, libros suo quemque loco indicavi.

Restat, ut paucis perstringam, quem cursum dissertatio mea teneat. Atque primo quidem capite ea verba composita in conspectu ponam, quae motum a loco quodam vel separationem significant, eam rationem secutus, ut primum in medium proferam verba comp. ab praepositionibus „ab de ex" incipientia, quae aut praepos. „ab de ex" aut nudos casus, ablativum, dativum, atque etiam accusativum admittunt, deinde proponam verba cum praepos. „pro sub super" et cum inseparabilibus „dis-, re-, se-" composita. Capite secundo inquiram in ea verba, quae cum verbis simplicibus intransitive vel raro tantum transitive usurpatis composita transitivam vim induerunt et accusativum secum habent. Capite tertio de iis verbis comp. disputabo, quae simplicibus intransitiva vi praeditis duplicem asciscunt structuram, accusativum et dativum. Capite quarto iis in verbis tractandis versabor, quae cum praepos. „ad ante circum cum in ob per prae pro sub super" composita appropinquationem vel coniunctionem quandam exprimunt et dativum vel rarius praepositionem quandam assumunt. Capite denique quinto nonnulla verba compos. exhi-

bebo duplicem structuram admittentia aut accusativum et dativum aut accusativum et ablativum.

In locis autem laudandis secutus sum editionem Gardthauseni.

Cap. I.[1]

Verba cum praep. „pro, sub, super“ et cum inseparabilibus „dis-, se-, re-“ composita.

Altera huius capitis parte duo verborum compositorum huc spectantium genera inveni; alterius sunt verba, quae separandi, disiungendi notionem habent, alterius ea, quibus vis distinguendi subest.

Priusquam autem locos ipsos proferam, ad ipsam rem nonnulla adnotari velim.

Verbis hic tractandis easdem fere structuras accommodatas videmus quas verbis priore parte exhibitis, praepositiones, ablativum, dativum et personae et rei, atque etiam semel accusativum verbo „superstare“ appositum,[2]) ad quas eadem revocanda sunt quae supra disseruimus. Namque dativus[3]) et personae et rei verbo „subtrahere“ adiunctus iam a classicis scriptoribus in usum receptus est indeque satis intellegi licet, quod ut in verbis supra allatis duae verbi partes ita in unam notionem coierunt, ut ii qui loquebantur vel scribebant compositum esse verbum non iam distincte sentirent, quamobrem novum verbum iam pridem intellegebatur. Atque etiam in usurpandis praepositionibus et nudo ablativo eadem fere ratio quae supra cognoscitur, ita quidem, ut usus nudi ablativi cum consuetudine Ciceroniana comparati apud Ammianum magnopere amplificatus sit. Neque vero multum discrepat in hac re ratio loquendi Ammianea a Liviana et Tacitea paene pares ablativi nudi numeros praebente. Jam ad exempla afferenda accedam.

---

[1]) Eam huius capitis partem, quae verba cum praepos. „ab de ex“ composita complectitur, edidi in progr. gymn. Stendal. 1891.

[2]) De hoc verbo paulo infra dicetur.

[3]) Dativus verbo „superstare“ subiunctus dativus sociativus est, de quo vide infra.

I. Verba separationem significantia.

1) *verba cum di — composita.*

diffunditare verbum cum praep. „ex" legitur XXI, I, 11: sol- nostras mentes ex sese velut scintillas diffunditans.

digredi verbum a Cicerone cum praep. „ab", a Livio et Tacito praeterea cum praep. „ex" coniunctum apud Ammianum etiam ablativum sine praepositione asciscit. Legitur 1) praepositio a) „ab" XIIII, 6, 2: nusquam a veritate sponte propria digressurus; XXIIII, 5, 11: nusquam ab antesignanis ipse (imperator) digrediens; XXVI, 8, 3: Valentem — nondum a Chalcedonos suburbano digressum; XXVIIII, 2, 21: coetus furiarum horrificus — ab eadem urbe digressus. b) „ex" XXI, 6, 5: Florentii — e Galliis novitatis metu digressi; XXV, 4, 14: postquam ex occidua plaga digressus est (Julianus); XXVII, 12, 9: Arsacis filium Param — e munimento digressum; XXVIII, 4, 20: siquis e militia principis recens digressus. 2) ablativus XVI, 12, 6: digresso (Barbatione) periculis; XXVI, 5, 3: Serenianus, olim sacramento digressus; XXVII., 10, 11: per labilem limum incitato iumento digressus (Valentinianus). Semper nudus ablativus invenitur in loquendi formulis „vita digredi" et „mundo digredi" XVII, 4, 14: digressoque vita principe memorato; XXVIIII, 5, 2: Nubel — vita digrediens; XXX, 1, 22: siquis vita digressis est dolor; XXI, 14, 2: mundo digressurum (Constantium); XXVIIII, 1, 39: mundo digredi; XXXI, 2, 22: fortuitis mortibus mundo digressis. Cum adverbiis loci XX, 11, 23: militibus — exinde periculose digressis; 11, 30: narratione redire unde digressa est festinante; XXIII, 3, 1: Maestus exinde digressus (Julianus); 5, 17: Traianus et Verus et Severus hinc sunt digressi victores; XXVIIII, 5, 50: digressus exinde passibus citis; XXX, 7, 3: per Africam, unde — digressus (que); XXXI, 10, 20; Gratianus exinde digressus; 16, 7: exinde digressi sunt.

dilabi verbo in construendo congruit elocutio Ammianea cum Livii et Taciti usu praepositiones „ab" et „ex" poscente; Cicero vero praeter praep. „ab" uno loco nudum ablativum

admisit. Exstat a) „ab“ XXVIIII, 1, 27: totus enim devius ab aequitate dilapsus, ubi praeterea vox „devius“ addita est. b) „ex“ XXVI, 7, 1: nonnulli — e civitate occulte dilapsi.

dimittere verbum semel inveni, ubi terrae nomini praep. „ab“ subiuncta est XX, 11, 4: Quo (Arsace) dimisso a Cappadocia. Livius ubique praep. „ab“ et „ex“ usurpavit, cum Cicero excepto loco Verr. II, 32, 79 sane suspecto, ubi nudus quoque ablativus legitur, praep. „ab“ posuerit.

dimovere verbum apud Livium cum nudo ablativo copulatum praepositione „ab“ utitur XXI, I6, 5: corporibus a lascivia dimotis et luxu. Sic in codicibus legitur, non „demotis“, quod Eyssenhardtius falso in textum inseruit (cfr. not. crit. Gardthauseni).

dirimere verbum sicut Livius ita Ammianus cum praep. „ab“ adhibuit XXVIIII, 2, 3: in iudicio — ubi non lex, non religio, non aequitas veritatem a mendaciis dirimebat.

discedere verbo Ammianus Tacitum secutus praepositiones „ab“ et „ex“ apposuit; semel tantum nudus ablativus legitur; Cicero vero et Livius plerumque praep. „ab“, rarius „ex“, nonumquam „de“ usurparunt. Reperiuntur 1) praepositiones a) „ab„ XVII, 14 1: nusquam ab utilitate Romanae rei maiestateque discedebant (legati); XVIII, 8, 2; equites — ab aggeribus publicis — longius discedebant; XXI, 3, 4: quo Julianus — nusquam a tulela discederet Galliarum; 4, 6: Juliano discedente — a Galliis; 8, 1: Discedens — Julianus a Rauracis; XXIII, 1, 7: discedere a limitibus; 5, 17: ut a vetustate discedam; XXVII, 6, 14: numquam a statu naturae discedens (Eupraxius) intrepidae; XXVIII, 1, 40: a iure — iustitiaque crebro discedens ferreus cognitor. b) „ex“ XIIII, 7, 21: e iudiciis fas omne discessit; XXI, 12, 4: ex conloquio re infecta disceditur; XXVIII, 1, 44: e vicaria potestate discessit; 4, 15: ut aliquid sciens amplius e vita discedam. 2) ablativus XX, 3, 12: stellas — discedere suis sedibus. Alias adverbia loci inveniuntur XVIII, 2, 3: discedentes inde; XXV, 3, 3: antesignanos, unde discesserat; XXVII, 5, 5: unde Marcia-

nopolim ad hiberna discessit; XXVIII, 4, 25: unde non nisi reddita cautione dispendioque adflictus gravi discedit; 5, 13: maesti exinde discesserunt; 6, 6: nullo temptato inde discesserat comes.

discernere verbum, cui Cicero, Livius, Tacitus semper praep. „ab“ adiungunt, ab Ammiano praeterea semel cum praep. „ex“ semel cum ablativo sine praepositone construitur. 1) „ab“ adverbis additis a) „longe“ XIIII, 5, 6: crimina — a veritate longe discreta; XV, 11, 4: ab humaniore cultu longe discreti (Belgae); XVIII, 5, 5; ab impetrandi magisterii dignitate per obscuritatem adhuc longe discretus (Sabinianus); XXV, 4, 21: ab his consortiis privilegiis aut origine longe discretos. b) „procul“ XIIII, 8, 14: Cyprum — procul a continenti discretam. c) nullo adverbii addidamento XIIII, 8, 7: post Osdroenam quam — ab hac descriptione discrevimus; XVII, 13, 16: quos a nostrorum acie ulterior discreverat ripa; XXI, 14, 5: a conluvione peccandi immaculata corporis societate discretas (animas); XXIII, 6, 54: a mari discreti (Margiani); XXVII, 9, 10: discrevit (Praetextatus) ab aedibus sacris privatorum parietes; XXXI, 2, 4: ab usu communi discreta sepulcra; 12, 3: quindecim milibus passuum a civitate discreti (barbari). 2) „ex“ XXVI, 6, 3: e medio se conspectu discrevit (Procopius). 3) ablativus XIIII, 9, 1: forensibus iurgiis longe discretus (Ursicinus), adverbio „longe“ adiecto.

discindere verbum ut apud Livium cum praep. „ab“ adhibitum est XV, 11, 3: a Belgis vero eandem gentem Matrona discindit et Sequana.

discutere verbum praep. „ab“ assumit XXVIII, 4, 1: Diu multumque a negotiis discussus urbanis. In codice Vaticano exhibetur „discursis“, pro quo lenissima medela adhibita Gelenius recte scripsisse videtur „discussus“ ab Eyssenhardtio et Gardthauseno in ordinem verborum admissum. Lectio Accursiana „digressus“ Wagnero probata, praeterquam quod minus prope ad litteras traditas accedit, vel ideo mihi displicet, quod paulo post verbum „regredi“ sequitur.

disiungere verbi structura Ammianea eadem est quae apud scriptores in comparationem vocatos; usurpatur enim praep. „ab" XX, 4, 8: ab imperatore nusquam disiungi debere praefectum in ardore terribilium rerum; ad nomen urbis apposita est XIIII, 9, 8: quae (villa) ab Antiochia vicensimo et quarto disiungitur lapide. Adverbia loci exstant XXI, 15, 2: cum ad suburbanum venisset (Constantius) disiunctum exinde tertio lapide; XXII, 16, 14: Canopus inde duodecimo disiungitur lapide.

disparare verbi apud A. legi hasce structuras 1) cum praepositionibus a) „ab" XIIII, 3, 3: Batuae municipium — ab Euphrate flumine brevi spatio disparatur; 8, 4: hae — regiones — ab orbe eoo monte Amano disparantur; XX, 3, 7: sustinet luna defectum, cum pleno lumine rotundata solique contraria ab eius orbe centum octoginta partibus — disparatur; XXII, 16, 1: ab Aegypto Augustamnicam et Pentapolim a Libya sicciore disparatam. „Disparatum" scriptura in editione Gelenii exstat, quod cum Gelenium saepius veras exhibuisse lectiones constet, Gardthauseno probatum est. Et verbum „disparare" hac mente dictum ab elocutione Ammianea non esse alienam, loci congesti abunde docent. At haud scio an „dissociatam" ab Eyssenhardtio aliisque fere omnibus editoribus in textu positum praeferendum sit, cum propius ad Vaticani litteras „dissoratam" accedat. „Dissociare" eodem sensu usurpatur XXII, 8, 33, quem locum paulo infra affero. 16, 10: insula Pharos — a civitatis litore mille passibus disparata; XXIIII, 1, 3: ut decimo paene lapide postremi dispararentur a signiferis primis; XXVI, 5, 1; in suburbano, quod appellatum Mediana a civitate tertio lapide disparatur. Nomina urbium cum praepos. „ab" iunguntur XV, 11, 8: ab Arelate octavo decimo ferme lapide disparatum; XVI, 12, 70: ab Argentorato cum pugnaretur mansione quadragesima disparatus; XXI, 9, 6: Bononeam a Sirmio miliario nono disparatum et decimo. Simul adverbiis additis XXIII, 6, 56: eius (Bactrianae) pleraeque partes ita ut Margiana procul a litoribus sunt disparatae; XXVII, 4, 4: Scordisci, longe nunc ab isdem provinciis dis-

parati. b) „ex“ XXV, 7, 8 : Corduenae — ex eo loco — centesimo lapide disparatae. 2) cum undo ablativo XX, 4, 13: maesti, quod eos fortuna quaedam inclemens et moderato rectore et terris genitalibus dispararet; XXIIII, 5, 3: loca — quibus Coche — haut longius disparatur. Apud Ciceronem, Livium, Tacitum verbum ita constructum non invenitur.

dispellere verbum, cui Cicero praep. „ab“ iungit, cum dativo personae legitur XIIII, 7, 5: Antiochensi plebi suppliciter obsecranti ut inediae dispelleret metum, non — disponi quicquam statuit (Gallus).

dissociare verbum A. pariter atque Cicero et Tacitus cum praep. „ab“ adhibet XXII, 8, 33: A quibus — Tauri dissociantur.

distare verbo ex usu Ciceronis et Taciti praep. „ab“ apposuit XVI, 12, 19: collem — a superciliis Rheni haut longo intervallo distantem; XVIIII, 9, 7: ad villam octavo lapide ab urbe distantem; XXII, 8, 22: a quibus (populis) brevi spatio distant virorum monumenta nobilium; XXV, 4, 7: quantum a contemptu et insolentia distare existimabat (Julianus); adverbio „longe“ accedente XX, 2, 3: inania quaedam longeque a negotio distantia scrutabantur. Semel cum adverbio loci XVIII, 6, 21: mittor ad praecelsas rupes exinde longe distantes.

disterminare verbum praep. „ab“ secum habet XV, 11, 2: et Gallos quidem ab Aquitanis Garumna disterminat flumen; XXII, 8, 27: Asiamque disterminans (Tanais) ab Europa; XXI, 1, 15: vertebram, quae caput a cervice disterminat.

distinguere verbo A. ut plerique scriptores latini praep. „ab“ adiecit XV, 10, 2: a feris gentibus fluentis distinguitur (plaga) Rheni; XXII, 8, 2: a Thessalo mari distinguunt (Athos et Caphareus) Aegaeum; XXVII, 8, 6: quod (litus) a spatio controverso terrarum angustiis reciproci distinguitur maris; XXXI. 3, 8: amplitudine fluentorum Histri distinguitur ab arvis, patentibus iam peregrini fulminibus Martis. Pro codicis Vaticani corrupta scriptura „abarbis“ Valesius „a barbaris“ legendum suspicatus est, quod omnibus editori-

bus placuit praeter Accursium eumque sequentem Gardthausenum „ab arvis“ in verborum seriem immittentes. Etsi utraque lectio ad codicis Vaticani scripturam pariter prope accedit, tamen sententia loci illud „a barbaris“ improbatur, cum scriptor paulo ante commemoret populum quaesivisse sedes remotas ab omni notitia barbarorum, id quod non dici potest de sedibus nisi flumine Histro non separatis.

divellere verbo ex consuetudine Ciceronis, Livii, Taciti praep. „ab“ additur XX, 8, 20: alimentariae rei gratia divelli causatus (Florentius) a Caesare.

divertere verbum a Cicerone et Livio cum praep. „ab“ positum semel adverbium loci secum habet XVI, 7, 10: nunc redeam unde diverti.

2) *verbua cum praepos. „pro“ composita.*

procreare verbum nudus ablativus sequitur XXXI, 2, 25: omnes generoso semine procreati.

producere verbum sicut scriptores prosae orationis ita A. semper cum praep. „ex“ adhibuit XXV, 5, 5: productus (Jovianus) e tabernaculo; XXX, 4, 21; iudices patiuntur interdum doctos ex Philistionis aut Aesopi cavillationibus, quam ex Aristidis illius Justi vel Catonis disciplina productos.

proferre verbum praep. „ab“ assumit XXVIII, 1, 20: secretioribus chartis ab eius (Amantii) domo prolatis.

proficisci verbo A. plerumque praepositiones „ab et ex“ etiam a Tacito usurpatas coniunxit; contra ablativus a Livio et deinde a Tacito positus apud A. nisi in nomine urbis non legitur. Exhibentur 1) praepositiones a) „ab“ XVI, 10, 20: ab urbe profectus (Constantius); XXII, 14, 4: profectum a civitate sua Constantium; XXVI 7, 2: Valentem a Caesarea Cappadocum iam profecturum; XXVII, 8, 1: Profectus (Valentinianus) — ab Ambianis; XXVIII, 3, 1: Theodosius — ab Augusta profectus. b) „ex“ XIIII, 8, 3: ex Aethiopia profectus Sandan quidam; XX, 8, 1: profectus e Traciis; XXV, 1, 4: qua ex regione profecti. 2) ablativus XXV, 10, 6: Tarso profectus (princeps). Cum adverbiis loci XXIII, 3, 8: praefectus (Julianus) exinde; 5, 7:

Profecti exinde; XXIIII, 5, 6: unde profectus imperator; XXV, 8, 16: Profecti exinde; 10, 4: inde profectus (princeps); XXVI, 8, 2: exindeque profectus; XXVIIII, 5, 25: Exin profectus.

profundere verbum cum ablativo exstat XXIIII, 5, 5: quem (cuneus Persicus) patefactis subito portis profuderat civitas, nisi verba „patefactis portis" pro ablativis absolutis accipi praestat.

progredi verbum, quod Tacitus more poëtarum cum ablativo sine praepositione iunctum exhibet, apud A. semper praepositiones secum habet. a) ab XVIII, 3, 1: turbo novarum — rerum a primordiis levibus ad luctus et lamenta progressus; XXII, 7, 3: effuso curso a vestibulo longe progressus (Julianus), adverbio „longe" apposito; XXIIII, 4, 31: regis filius, progressus a Ctesiphonte. b) „ex" XV, 3, 7: clades — ad multorum pericula ex verborum inanitate progressa. Ceteris locis adverbia loci reperiuntur XVIII, 2, 2: exinde facile ad conlimitia progressus eorum; XXII, 9, 8: eumque (Julianum) exinde progredientem; XXVII, 2, 9: exin progressus ulterius; XXVIII, 1, 6: unde — progressus (Maximinus) ad curandam urbis annonam.

prohibere verbo a Cicerone, Livio, Tacito sine ulla differentia modo cum praep. „ab" modo cum ablativo iuncto Ammianus non nisi praep. „ab" apposuit XXIII, 6, 26: quae (angustiae) a rubro prohibent Caspium mare; XXIIII, 4, 31: Victorem — a transitu fluminis regis filius — prohibere conatus. Infinitivo sequente vide Kallenberg p. 35.

promovere verbo adverbium „unde" adicitur XVI, 12, 8: a loco, unde Romana promota sunt signa.

promulgare verbum cum praep. „ex" legitur XV, 5, 23: mirabamur illam sententiam Tullianam ex internis veritatis ispius promulgatam.

propellere verbum coniungitur cum praepositionibus a) „ab" XVIIII, 5, 1: ut a propugnaculis propellerent (ballistae) defensores. b) „ex" XXII, 15, 11: propellitur (Nilus) e paludibus ad usque cataractas.

prorumpere verbo A. rationem optimorum scriptorum secutus

praep. „ex“ adiunxit, cum Tacitus semper nudum ablativum adhibuerit XXII 8,30: ex cuius (Maeotis) uberrimis venis — nudarum multitudo prorumpit; XXVIIII, 5, 51: prorupit (Igmazen) ex acie.

proserpere verbum positum est cum praep. „ab“ adverbio „usque“ adiecto XVIIII, 4, 4: clades illa — ab usque ferventi Aethiopiae plaga paulatim proserpens.

prosilire verbum A. cum praep. „ex“ iunxit XXVIII, 2, 8: ex abdito collis propinqui barbaricus prosiluit globus. Classici qui dicuntur auctores etiam praep. „de“ exhibent.

prospicere verbum cum adverbio loci exstat XVIIII, 2, 12: unde longe ac late prospici poterat. Cui adsero

prospectare frequentativum, quod legi XXIII, 6, 70: Paropanisadae — Indos ab oriente Caucasiumque ab occidentali latere prospectantes; XXIIII, 1, 2: qui cautius gradientes ex utroque latere itidemque a fronte — prospectabant, at utroque loco locutiones adverbiales accipiendae sunt.

protrudere verbum structuram nudi ablativi poëtis usitatam asciscit XXVIIII, 1, 21: inde factum est, ut clementiae specie penatibus multi protruderentur insontes. Item construitur

provolvere verbum XXV, 3, 7: provolutus (Julianus) iumento.

3) *verba cum „re“ composita.*

recedere verbo, quod scriptores prosae orationis ubique cum praepositionibus usurparunt, ex usu poëtico nudus ablativus appositus est XVIIII, 6, 10: tormentorumque machinae stridebant sine iaculatione ulla telorum, ut stationibus recedentes post interemptos socios non agerentur ignari, ubi apposita moenia suspicarentur. Verbum „recedentes“ Gardthauseni emendatio est pro librorum lectione „praesidentes“, quod nullum sensum praebet. Quemadmodum vero Gardthausenus verba allata, quae omnia fere ab illo profecta sunt, intellegi velit, frustra exquiro. Cum verba codicum „stationibus praesidentes post interemptos socios pone agerentur ignari urbis oppositi moenia bus nudarent miperta“ gravissime sint corrupta, locum omnino insanabilem esse puto.

redimere verbum cum praep. „ab“ legitur XXIIII, 3, 4: auro quiete a barbaris redempta.

redire verbo a bonis scriptoribus et Livio cum praepositionibus, a Tacito vero praeterea cum nudo ablativo coniuncto Ammianus praep. „ex“ adscripsit XXVI, 5, 15: dum ex loco subinde saltuatim redire festinamus in locum. Semel adverbium loci exstat XVI, 11, 6: unde redituros didicere Germanos.

reducere verbum ut apud Livium praep. „ab“ sequitur XXIII, 5, 12: quos (equos) potu satiatos a flumine reducebat (miles).

referre verbum a Cicerone cum praep. „ex“ adhibitum apud A. praep. „ab“ secum habet XXVI, 1, 1: convenerat iam referre a notioribus pedem. Adverbium loci legitur XXV, 4, 25: triumphum exinde relaturus (Julianus) et cognomentum.

regredi verbum, cui Tacitus semel praep. „ab“, semel ablativum nominis insulae addidit, apud A. iunctum legitur cum praepositionibus a) „ab“ XXVI, 7, 14: Procopius a Nicaea regressus; XXVII, 7, 1: Mamertinum praefectum praetorio ab urbe regressum. b) „de“ XX, 8, 4: cubiculariorum recens de Galliis regressorum. „Regressorum“ cum Gelenio et Gardthauseno scribendum esse censeo contra codicum et plerorumque editorum scripturam „praegressorum“ idoneo sensu carentem.

remittere verbo, quod Livius cum praep. „ab“, Cicero praeterea cum „de“ et „ex“ iunctum exhibent, A. aeque atque Tacitus praep. „de“ admisit XVI, 12, 18 cunctis igitur summis infimisque adprobantibus tunc oportune congrediendum nec de rigore animorum quicquam remittentibus; XXXI, 7, 15: nec de rigore genuino quisquam remittebat. Adstipulor Guenthero p. 57 sq. scribendum censenti „quicquam remittebant; nam „remittebant“ exhibetur codice Vaticano. cfr. locum modo allatum.

removere verbo A. ut Cicero et Tacitus semper praep. „ab“ subiunxit, cum Livius ab hac dicendi ratione ita recesserit, ut etiam nudum ablativum ponat. Loci sunt hi: XV, 7, 7:

Athanasium — coetus — removit a sacramento quod optinebat; XVIIII, 8, 2: nec metu mortis quisquam ex aliqua parte a studio propugnandi removebatur; XXVIII, 3, 8: Areanos — prolapsos in vitia a stationibus suis removit; XXXI, 3, 8: domicilium remotum ab omni notitia barbarorum. Adverbia loci exstant XXI, 12, 3: removit (Julianus) exinde Jovinum, XXX, 2, 1: remotisque inde partis Romanae praesidiis.

repellere verbum cum praep. „ab" legitur XIIII, 3, 1: rege Persarum — repellente(que) a conlimitiis suis ferocissimas gentes. Etiam Cicero et Livius ubique praepositionibus usi sunt.

reportare verbum praep. „ex" sequitur XIIII, 6, 4: ex omni plaga quam orbis ambit inmensus reportavit (populus) laureas et triumphos. Ita Kiessling (Fleck. J. f. Phil. 103 p. 498) ex codicum scriptura „laureacetriumphos" coniecit, quod suo iure in textu posuit Gardthausenus. Nam „laureae triumphos", quod editionibus exhibetur, ineptum esse quivis cognoscit.

reprimere verbum praepositionem „ex" assumit XXX, 5, 2: e statione proxima reprimebat barbaricos adpetitus.

resultare verbum cum praep. „ex" adhibetur XVIIII, 6, 10: resultantibus e civitate lituis multis.

retorquere verbo praep. „ab" apposita est XIIII, 6, 17: eandemque (naturam) ab instituto cursu retorquens (Semiramis).

retrahere verbum A. ut Tacitus cum praep. „ab" coniunxit XXXVIII, 1, 2: licet ab hoc textu cruento gestorum exquisite narrando iustus me retraheret metus multa reputantem et varia. Adverbium loci reperitur XIIII, 7, 19: exindeque per protectores retractus (Apollinaris).

revehere verbum praep. „ex" asciscit XXV, 3, 8: revectus (Epaminondas) ex acie.

reverti verbum a Tacito cum praep. „ab" et „ex" coniunctum (cfr. Klein p. 7) apud A. praeterea cum praep. „de" et uno loco cum ablativo sine praepositione adhibitum legi. Exstant 1) praepositiones a) „ab" XXI, 6, 2: a Mesopotamia reversus (Constantius); XXV, 7, 11, a munimentis

alienandis reverti; XXXI, 11, 2: barbaros — a Rhodopeis tractibus prope Hadrianopolim revertisse. Locus XXIII, 5, 5: necui militum ab agminibus propriis revertendi fiducia remaneret, huc non pertinet, cum praepositio cum casu suo ad vocem „militum“ referatur. b) „de“ XXV, 4, 17: si revertisset (Julianus) de Parthis. c) „ex“ XXIII, 3, 3: reversis omnibus e procinctu; XXII, 11, 7: reversus (Georgius) e comitatu principis. 2) ablativus XX, 11, 31: urebat eius anxiam mentem, quod velut patefacta ianua divitis domus inritus propositi reverteretur. In codicibus VP est „revertetur“, quod Eyssenhardtium recte reposuisse existimo. Nam Ammianum post coniunctionem „quod“ pro coniunctivo modo pluries usum esse futuri indicativo ostendit Reiter p. 42 sqq. Ceteris locis cum adverbiis loci XVIII, 7, 1: nos — exinde ad satrapen reversi; 7, 2: unde — reversi; XX, 10, 3: unde reversus (Julianus); XXI, 5, 12: indeque reversus; 12, 24: legatos exinde reversos; XXVI, 8, 4: Unde cum Ancyram Valens — revertisset.

revocare verbum A. Ciceronem et Tacitum secutus copulavit cum praepositionibus a) „ab“ XX, 7, 11: nec confixi mortiferis vulneribus plurimi ceteros ab audacia parili revocabant; XXX, 4, 1: navabatur — opera diligens ut homo rigidus — a studio iudicandi revocaretur; XXXI, 12, 9: nisi — eos a pernicioso pugnandi revocaret (Valens) ardore, b) „ex“, XV, 5, 23: cum ex miseris et perditis rebus ad meliorem statum fortuna revocatur, qui locus ex Cicerone est desumptus. Ablativum, qui perraro est apud Livium, Tacito abiudicandum censeo cfr. Klein p. 20.

4) *verba cum „se“ composita.*

secernere verbo ut boni scriptores A. praep. „ab“ apposuit XXII, 8, 25: paulum ab his secernuntur Achaei; XXV, 3, 15: quotiens condicio melior a deteriore secernitur.

seiungere verbum cum praep. „ab“ iunctum usurpatur XVII, 4, 14: defertur (obeliscus) in vicum Alexandri, tertio lapide ab urbe seiunctum.

separare verbo, cui scriptores prosaici praepositiones addere

solent, A. nudum ablativum adiunxit. XVII. 13, 4: insularum anfractum — amnis potior — terrae consortio separavit; XX. 8, 8: separandique (homines) liberis et coniugibus. Semel cum adverbio loci XXXI, 7, 5: unde haut longo spatio separatum vulgus inaestimabile barbarorum.

5) *verba cum praep. „sub" composita.*

subtrahere verbum in libris Taciteis ubique cum dativo et rei et personae coniunctum apud A. secum habet hasce structuras 1) praep. „ex" XVII, 9, 2: ex annona decem dierum — portionem subtractam. 2) ablativum XVI, 8, 7: praefectum et se discrimine gravi subtraxit (Ursulus). 3) dativum a) personae XIIII. 7, 9: adiumenta paulatim illi subtraxit. b) rei XV, 1, 1: tunc enim laudanda est brevitas cum moras rumpens intempestivas nihil subtrahit cognitionis gestorum; XVI. 12. 56: siquem morti velocitas subtraxisset.

suggerere verbum cum praep. „ex" exstat XVIIII, 12, 13: quasi e promptuaria cella fallaciarum et nocendi species suggerente (Paulo) conplures.

sumere verbum A. construxit 1) cum dativo personae XXVI. 3, 5: Duilium — id sibi sumpsisse ut. 2) cum praepositionibus a) „de" XXVIIII. 1. 40: sumptumque est de quibusdam sine spiramento vel mora supplicium. qua praepositione semper eaque plerumque in eadem elocutione etiam Tacitus utitur. b) „ab" XXVI. 1, 9: tertius (annus) a prima vigilia sumens exordium. Adverbia loci leguntur XVII, 8, 1: Julium mensem, unde sumunt Gallicani procinctus exordia; XXII, 15, 2: unde exordium Asia Syriarumque provinciae sumunt; XXIII, 2, 22: unde necessariis sumptis; XXXI. 10. 2: quae clades hinc exitiale primordium sumpsit.

summovere verbum iunctum legitur 1) cum praep. „ab" XXIIII, 2, 9: oppidanos a propugnandi studio submoturus (imperator). 2) cum ablativo XX, 3. 10: cum — sole longo coeperit (luna) interstitio summoveri; haec structura a consuetudine optimorum scriptorum abhorrens primum apud Livium ac deinde apud posterioris aetatis scriptores saepius

occurit. deest vero elocutioni Taciti. qui semel praep. „ab“ posuit.

suscitare verbum cum praep. „ab“ exhibetur XIIII. 11, 26: bonos ab imo suscitans.

suspendere verbum sequuntur praepositiones a) „ab“ XVII, 12, 16: regum, suspendi a iugulis obsecrantium. b) „de“ XXVIII. 1. 36: resticulam de fenestra praetorii quadam remota — suspensam; 5, 54: repertumque funiculum — de clavo parieti adfixo suspendit.

6) *verba cum praep. „super“ composita.*

superstare verbum secum habet 1) praep. „ex“ XX, 9, 6: principi — e tribunali. ut emineret altius. superstanti. scripta iubetur offere. Pro codicum scriptura „e“. quam retinuerunt Wagnerus et Gardthausenus. in textum inseruit Eyssenhardtius copulam „et“. quae est in editionibus quibusdam priscis. Quamquam structuram verbi „superstare“ cum dativo locum significante esse usitatiorem concedendum est. tamen altera constructio. quam codices exhibent, non ita a re grammatica abhorrere videtur. ut reicienda sit, quamquam exemplum huius usus mihi non praesto est. Duo vero participia iuxta posita copula „et“ omissa apud Ammianum nihil habent offensionis. 2) dativum inde a Livio demum verbo additum (cfr. Kuehnast p. 137) et etiam apud Tacitum occurrentem XX. 6, 4: oppidani superstantes propugnaculis celsis. 3) accusativum tralate-superare, quo sensu verbum antea non obvenit XXV, 4, 14: Felicitas ita eminuit ut — victoriosis cursibus difficultates superstaret inmensas. In codicibus traditum est „supestaret“, quod corruptum est. Vulgo facili mutatione legitur „superstaret“ ab Eyssenhardtio et Gardthauseno servatum. idque recte. ut mihi quidem videtur. Etiamsi verbum hoc translaticio sensu praeditum nusquam alio loco transitive inveni. tamen tenendum est Ammianeae elocutionis multas res esse peculiares. quae ab usu aliorum scriptorum abhorrent. Quare non esse puto. quod cum Kiesslingio (Fleck. J. f. Phil. 103 p. 493) scribatur „superaret“, usitatius quidem. sed minus prope ad traditas litteras accedens.

II. Verba distinguendi.

differre verbi structura Ammianea plane consentit cum consuetudine loquendi Ciceronis et Taciti, nisi quod ille etiam praep. „cum“ usus est; Livius nonnisi praep. „ab“ usurpavit. Sequitur 1) praep. „ab“ XIIII, 11, 28: tantum a temperatis moribus Juliani differens fratris; XVI, 12, 61; immensum quantum ab eo differens (Chonodomarius) qui. b) „inter“ XXVIII, 4, 21: inter quos tantum differt quantum inter fures et latrones.

discernere verbum cum praep. „ab“ legitur XIIII, 7, 21: ullo discernente a societate noxiorum insontes.

discordare verbum cum praep. „cum“ adhibitum est XXII, 9, 10: cum quo (inimico) discordabat asperrime. Eadem praepositio apud Ciceronem deprehenditur.

discrepare verbum a Cicerone cum praepositionibus „ab, inter, cum“ et uno loco cum dativo, a Tacito ubique cum praep. „ab“ iunctum apud Ammianum bis praep. „ab“ assumit XXI, 7, 3: nemo enim omnium tunc ab hac constanti sententia discrepabat; XXII, 5, 4: parum advertit (Julianus) hoc ab eo nimium discrepare; semel solum ablativum XIIII, 6, 10: nec opibus nec victu nec indumentortm vilitate gregariis militibus discrepantes (maiores).

dissidere verbo adiunguntur praepositiones a) „ab“ XV, 5, 8: dissidens (Apodemius) a mandatis quae proficiscenti sunt data: b) „inter“ XXX, 4, 20: inter se hostiliter dissident. c) „cum“ XXV, 5, 8: Jovianorum signifer — cum novo dissidens principe etiam tum privato. Eaedem sunt structurae Ciceronis, nisi quod etiam dativum admisit.

dissonare verbo A. duas structuras accommodavit 1) praep. „ab“ XV, 5, 4: alter multum a vero illo dissonans — textus; XXII, 10, 2: nulla eius (Juliani) definitio litis a vero dissonans reperitur. 15, 6: quod utrumque dissonare videtur a veritate. 2) ablativum XXVI, 1, 1: similia plurima praeceptis historiae dissonantia.

distare verbum cum praep. „inter“ exstat XXVIIII 1, 18: nihil inter se distantibus meritis.

Cap. II.

Hoc capite in ea verba inquirere mihi proposui, quae, cum simplicia sint intransitiva, compositione demum transitivam acceperunt notionem accusativumque asciscunt. Verborum huc spectantium duo genera exstant; alterius sunt ea, quae motum vel quietis statum exprimunt, alterius ea, quae „ad animum aut ad certa quaedam corporis humani membra pertinent.“ Praepositiones vero, quibuscum verba eiusmodi sunt composita, omnes fere apud Ammianum reperiuntur; sunt hae: ab, ad, ante, circum, cum, de, ex, in, inter, ob, per, prae, praeter, pro, sub, super, trans; amb, dis, intro, re.

Jam ex conspectu verborum infra congestorum dilucide apparet Ammianum non solum terminos finesque, quibus aureae aetatis scriptores ut Cicero rationem structurarum eiusmodi verborum coercuerunt, longe excessisse, verum etiam Livii et Taciti, quorum scripta copiam verborum primum transitive exhibitorum satis magnam suppeditant, extendisse. Nam complura verba leguntur, quae vel novavit velut „circumcircare“, vel primus aut solus transitiva vi induit velut „discursare, emeare, extuberare, intercurrere, interlabi, praetercurrere“, vel etsi iam a poëtis cum accusativo admissa sunt, scriptorum pedestris orationis primus in transitivum assumpsit usum velut „subsidere, supereminere, circumcursare“, vel quamquam iam antea in litteris latinis transitive posita obveniunt, primus singulari significatione praedita usurpavit velut „superstare“.[1]) Huc accedit, quod nonnullis verbis, quibus Cicero et omnino classici scriptores plerumque, saepius Livius, raro tantum Tacitus etiam praepositionem quandam ut „adire, aggredi, invadere, ingredi, irrumpere, influere, subire, aliis“ aut dativum ut „anteire, interiacere, praecedere, aliis“ attribuerunt, nonnisi accusativum subiecit. In universum facile cognosci potest Ammianum in his verbis usurpandis maxime ab optimorum auctorum, ut Ciceronis, sermone discedere, haud ita raro cum genere dicendi Liviano consentire, proxime vero accedere ad rationem loquendi Taciteam.

[1]) De quo vide supra.

Nonnullis verbis Ammianus, rarius quidem, praepositionem quoque adscripsit, ita quidem, ut in hoc usu plerumque optimos scriptores secutus sit. Discrimen vero inter utramque structuram saepius nullum fere intercedit; ubi tale perspici potest, paucis exponetur. Jam vero verba quaedam cum praepositionibus „cum, in, ob, prae, sub" composita reperiuntur, quae praeter accusativum etiam dativi structuram assumunt. Ea quo diversae structurae magis in lucem prodeant, capite proximo in ordinem digesta in conspectu ponam. Sed iam ad exempla ipsa afferenda accedamus.

A. Verba motum vel quietis statum significiantia.

abolere XIIII, 11, 23: fiduciam omnem fundandae securitatis in eodem (Gallo) posuit (princeps) abolendo; XV, 2, 2: Constantii nomine per orientis tractus omnes abolito; 5, 19: diligens enim opera navabatur — Ursicinum exulceratum iam penitus aboleri; XVII, 9, 4: spe meliorum abolita; 13, 12: fastu vitae prioris abolito; XVIIII, 10, 3: his abolitis; 11, 6: simultate abolita; 12, 16: in abolendis adversa conantibus; XXII, 5, 2: abolitis quae verebatur (Julianus); XXIII, 5, 19: abolenda nobis natio molestissima; 6, 40: abolito vetere (vocabulo); XXIIII, 7, 6: classe — abolita; XXVI, 1, 13: quibus abolitis; 3, 5: abolendae — maculae; XXVII, 9, 5: inventores iuris antiqui — insontes quosdam aliquotiens suppliciis aboleri censuere letalibus; 12, 1: placitorum abolita firmitate; XXVIIII, 3, 5: ignibus aboleri; XXX, 4, 11: iuris — scientiam, quam repugnantium sibi legum abolevere discidia; XXXI, 15, 10: abolito — metu.

accolere XVIIII, 4, 2: accolentes loca palustria vel humecta; XXXI, 2, 1: Hunorum gens — glacialem oceanum accolens.

aggredi verbo a Cicerone cum accusativo et praep. „ad" usurpato A. Livium et Tacitum secutus ubique solum accusativum coniunxit. 1) Propria vi = invadere, adoriri XVI, 2, 2: per diversa palantes barbaros — adgressurus (Julianus); 2, 9: Alamannam adgredi plebem; 4, 1: Haec sollicite perpensantem hostilis adgreditur multitudo; 11, 14: multitudo barbarica — Barbationem — impetu repentino adgressa;

XVII, 4, 3: reparatam (urbem) — Cambyses — adgressus est; 8, 4: cunctos (Francos) adgressus (Julianus); 12, 7: nostros adgredi cogitarunt; XVIIII, 3, 1: quo levium armorum auxilio — nocturnas hostium adgrederentur excubias; 6, 5: custodias adgredi — hostiles; 8, 10: incertum unde impetu tam repentino terga viantum adgressa; XXI, 3, 3, adgreditur (Libo) — Germanos; 13, 1: obsidione gemina Bezabden aggressurus (Constantius); XXII, 7, 8: suadentibus proximis, ut adgrederetur propinquos Gothos saepe fallaces et perfidos; XXIII, 6, 8: Dareus posteaque Xerxes Graeciam — adgressi; XXIIII 2, 17: Julianus — locum patentem adgressus; 3, 1: Surenam Persicum ducem procursatorum partis nostrae tres turmas inopinum adgressum; 4, 4: nostros adgressi sunt; XXVI, 9, 2: Gomoarium adgressurus (Valens); XXVII, 5, 6: Greuthungos bellicosam gentem adgressus est (Valens); 12, 7: vallumque hostile caedibus adgredi repentinis; XXVIIII, 3, 2: adgredi Romanas res; 5, 5: praetereuntes adgredi; 5, 15: Alamannos — adgressus — Theodosius; XXVIIII, 5, 44: nationem Jubalenam spiritu adgressus ingenti; XXXI, 11, 4: Gothorum vastatorios cuneos — inconpositos adgressus est.
2) translata = ad aliquid accedere, subire, suscipere XIIII, 2, 13: maiora viribus aggressuri; 3, 2: novum parumque aliquando temptatum commentum adgressus; XV, 5, 6: ducturus Silvanum adgredi nihil tale conatum; XVII, 5, 12: adgredi negotium publicae utilitati conducens; 13, 24: cuius negotii duplicem magnitudinem imperator adgressus; XX, 7, 17: additaque spe quicquid adgredi posset adipiscendi; XXI, 5, 7: quod nihil voluntate — aggrediar; XXIIII, 7, 1: id adgredi; XXVII, 6, 6: pietatis officium adgrediar tempestivum; XXVIIII, 2, 2: arduum est opus adgressus (Valentinianus); XXVIIII, 6, 4: opus paulo ante inchoatum adgreditur; XXXI, 16, 9: quos id — adgressuros.

adire verbum A. pariter atque Livius cum accusativo et praep. „ad“ construxit; Cicero praeterea verbo praep. „in“ subiunxit, cum Tacitus non nisi accusativum apposuerit. 1) Proprie

positum iungitur a) cum accusativo α) rei XIIII, 2, 13: cum neque adclivitas ipsa sine discrimine adiri letali — posset; XXIII, 6, 20: adiri vado numquam potuit (Assyria); 6, 35: eratque piaculum aras adire; XXVII, 12, 6: quoniam munimentum — adiri non poterat; XXXI, 16, 3: ipsam — urbem cladium memores pristinarum nec adire — sunt ausi. Huc pertinet quoque adverbium loci XXXI, 13, 12: nullus fugatorum vel accolarum illuc adire est ausus. β) personae XVII, 14, 1: legati ad Persas — missi Ctesiphonta reversum regem adire; XXII, 7, 5: duo agentes in rebus — eum (Julianum) adiere; XXVII, 7, 8: siquis eum (Valentinianum) adisset. Passiva verbi forma legitur: XVI, 5, 12: aditus (Julianus) a parentibus virginis raptae; XXVIII, 6, 9: aditoque principe. b) cum praep. „ad“ XVI, 11, 11: constabat ad intima Galliarum, ut consueverant, adire Germanos arceri. 2) Notione tralata = subire XVII, 10, 12: adeundi discriminis.

adoriri 1) = invadere, aggredi XIIII, 2, 12: vicos opulentos adorti; 5, 8: abrupto ferro eundem adoritur (Martinus) Paulum; 7, 15: militares — adorti sunt Montium primum; XVI, 2, 10: hostes — legiones duas — adorti; XVII, 8, 5: Chamavos itidem ausos similia adortus (Julianus); XVIII, 2, 13: quos — nostri adorti; XX, 7, 5: Persarum populus omnis adortus avide vallum; 7, 17: Virtam adoriri disposuit; 10, 2: quos (Francos) adortus (Julianus); 11, 8: latera oppidi cuncta adortus alacris miles; 11, 16: primosque adorti (defensores) nostrorum; XXI, 4, 7: barbaros adoriri disposuit (Julianus); XXIIII, 4, 7: Surena hostium dux iumenta adortus; 5, 7: cohortemque nec opinantem adorta (multitudo); 5, 9: Persae — partem adorti nostrorum; XXV, 1, 5: extremos — necopinantes Persae adorti; 3, 4: Persae adorti; 3, 4: cataphractorum Parthicus globus centurias adoritur medias; 4, 26: adortus est (Julianus) Persas; 6, 2: adoriuntur nos — Persae; XXVI, 10, 1: Serenianum — adortus (Marcellus); XXVII, 2, 1: causanteque (Dagalaifo) — barbaros semet adoriri non posse; 8, 7: adortus est vagantes hostium vastatorias manus; 9, 6: unum grassa-

torum cuneum — adoriri; XXVIII. 2, 8: adortusque (barbaricus globus) milites seminudos; XXVIIII, 5, 46: quos (Jsaflenses) — agminibus adoritur (Theodosius) incitatis; 5. 50: Jesaflenses ut ambiguae fidei per tramites adortus obliquos; 6. 6: occupatam circa messem agrestem adortae sunt plebem; 6, 13: dum discretim grassatores adoriri festinant; XXXI, 6, 4: suadensque ut populandas opimas regiones et uberes absque discrimine ullo, vacuas praesidiis — adorerentur; 7, 6: terga ultimorum adorti; 9, 4: adortusque nationis utriusque grassatores minantes etiam tum acerba; 11, 5: inprovisos adoriens. 2) — rem aggredi, temptare XX, 6. 1: oppugnandam adoritur (Sapor) Singaram; XXI, 12, 13: alii ferratas portarum obices effringendas adorti; XXV, 8, 5: quod (oppidum) eruendum adorti temporibus variis Traianus et Severus; XXVI, 6, 12: facinus adoritur (Procopius) audacissimum; XXVIII, 2, 7: ne Romani — rem adorerentur indignam.

ascendere verbo A. duplicem admisit structuram, accusativum et praep. „ad“ hoc perspicuo discrimine intercedente, ut praepositione „ad“ locus vel finis, usque ad quem aliquis scandit, accurate indicetur. Apud Ciceronem etiam praep. „in“ c. acc. legitur, cum Tacitus nonnisi accusativum exhibuerit. Exstat 1) accusativus XX, 5, 1: princeps — tribunal ascendit; XXII, 14, 4: Casium montem ascendit nemorosum; XXIII, 1, 6: ascendente eo (Juliano) gradile Genii templum; XXVI, 2, 2: tribunal ascendere; XXXI, 5, 7: ascensis — equis. 2) praep. „ad“ XV, 13, 2: ascendit (Musonianus) ad praefecturam; XVIIII, 5, 5: singuli noctis medio ad contignationem turris tertiam ascenderunt.

assilire verbum, cui Cicero praepositionem iteratam subiunxit, Ammianus Statio praeeunte transitiva vi induit XXXI, 8, 9: tribunum Scutariorum Barzimeren inventum cum suis, Cornutisque et aliis peditum numeris castra ponentem adsiliunt.

advenire verbum, cui ab scriptoribus optimae latinitatis praepositiones „ad“ vel „in“ adscribi solent, Ammianus construxit 1) cum praep. „prope“ praepositione „ad“ supressa (cfr. Hassenstein p. 33) XVI, 12, 19: exercitus prope collem

advenit molliter editum. 2) cum dativo personae saepenumero non solum a priscis poetis, verum etiam a Livio, Tacito verbo adiecto (cfr. Lehmann, dissert. p. 11 et pogr. p. IX) XVIIII, 7, 6: lux nobis advenit maestissima. 3) cum accusativo, sed nonnisi in nomine urbis XXVI, 5, 1: Naesum advenerunt (principes). Adverbium loci semel legi, XXVI, 7, 14: quo nuper advenerat (Procopius).

adventare frequentativum a Cicerone ubique cum praep. „ad“ positum Ammianus omnibus fere locis cum accusativo directionis etiam in scriptis Taciteis occurrente iunctum exhibet, semel tantum praep. „in“ c. abl. usus est. Legitur 1) accusativus XIIII, 10, 11: barbaricos pagos adventans (imperator); XVIII, 2, 11: cum nostri locum adventarent provisum; XXI, 12, 22: audiens (Julianus) — militem — adventare Succorum confinia; XXIIII, 6, 5: cum ripas — adventarent (naves); XXV, 6, 9: cumque — civitatem nomine Duram adventaremus; XXVIIII, 5, 55: cum tentoria exercitus adventaret ad Subicarense castellum locata; XXX, 5, 1: eique (Valentiniano) regiones adventanti; accusativus nominis urbis additur XX, 11, 6: cum Bezabden adventaret. 2) praep. „in“ c. abl. XX, 4, 12: isdemque adventantibus in suburbanis. De dativo verbo pluries a Tacito adscripto vide Lehmann, dissert. p. 11.

advolare verbum ex optimorum scriptorum usu etiam a Tacito recepto A. adhibuit semel cum iterata praepositione XV, 3, 9: qui (Rufinus) confestim quasi pinnis elatus ad comitatum principis advolavit; semel cum accusativo iam uno loco Ciceroniano exstante ac deinde a posterioris aetatis scriptoribus saepius in usum vocato, ubi idem significat quod „invadere“ XVI, 9, 3: ut — latere ab omni securus perduelles advolaret adsiduos.

ambire verbum (de quo vide Corssen „Ausspr. u. Vocalismus d. lat. Spr. I, 162) sicut classicae aetatis scriptores ita A. cum accusativo copulavit. 1) = aliquem conciliandi causa adire XXX, 1, 19: qui (Traianus) inlecebrosis regem insidiis ambiens. 2) = claudere, circumdare et quae sunt similia XIIII, 6, 4: ex omni plaga quam orbis ambit inmensus;

8, 10: quas (provincias) Orontes ambiens amnis; XVI, 10, 8: quos (equites) lamminarum circuli tenues apti corporis flexibus ambiebant; XVII, 13, 4: insularem anfractum — amnis potior ambiens; 13, 25: signisque ambitus (Constantius) et aquilis; XVIIII, 6, 1: spatio quippe decem stadiorum ambitur (locus); XX, 4, 14: spatiis eius (palatii) ambitis; XXII, 8, 2: quod omnes (Cyclades) ambiunt Delon; 15, 31: recta omnia ambientes radii; XXIII, 5, 1: cuius (Cercusii) moenia Abora et Euphrates ambiunt flumina; 6, 10: hae regiones — insulosum et celebre Persicum ambiunt mare; 6, 64: celsorum aggerum summitates ambiunt Seras.

antegredi XIIII, 11, 10: Augusti vehiculum crascentis pedes antegressus est Galerius purpuratus; XVIII, 9, 3: ingruentem Persarum multitudinem sex legiones - antegressae; XX, 7, 13: unus aries — antegressus omnes.

anteire verbum apud Ammianum ubique accusativus sequitur, cum non solum Cicero, verum etiam Livius et Tacitus et accusativum et dativum adhibuerint. 1) Propria notione: XVI, 12, 24: Chonodomarius — anteibat cornu sinistrum; XXVIIII, 5, 30: Mazicum visis auxiliis, quos anteibant quidam Romani. 2) translata a) = praevenire XXVIII, 4, 31: ut velocitate currus ipsos anteeant certaturos. b) = praestare XXVII, 4, 14: Constat — agrestes — salubritate virium et praerogativa quadam vitae longius propagandae nos anteire; 6, 10: alius alium anteire festinans.

antevenire verbum in scriptis Ciceronianis non obvium transitive, sed a Sallustio et deinde Tacito aliis transitiva vi praeditum A. cum accusativo habet XXI, 7, 7: ut propius agens futuros possit antevenire conatus.

antevolare XV, 5, 24: verum cursim nos properantes aeria quaedam antevolans prodiderat fama, ubi facile accusativus etiam ad vocem „antevolans„ subauditur.

circumcircare verbum, quod idem valet atque „circumire“, non nisi apud Ammianum reperitur XXXI, 2, 23: regionum, quas circumcircant.

circumcolere verbum pluries a Livio transitive positum apud A. item usurpatur XXII, 8, 27: Amazones – circumcolunt

Tanain; 8, 43: quam (insulam) circumcolunt Trogodytae et Peucini minoresque aliae gentes. Pro codicum scriptura „Peuci" Gardthausenus procul dubio recte textui restituit „Peucini" formam, quae iam in editione Gelenii legitur. (cfr. con. Ammian. p. 16). XXVII, 4, 14: agrestes, qui — montium circumcolunt altitudines; XXVIII, 5, 15: tributarii circumcolunt Padum.

circumcursare verbum primum apud Plautum et deinde apud Catullum transitive adhibitum, Ammianus denuo in usum recepit XX, 7, 2: rex — castrorum ambitum circumcursans.

circumfluere verbum a poëtis et scriptoribus posterioris latinitatis admissum, ab optimo vero usu alienum legitur apud A. transitive positum XXIII, 6, 25: insulasque circumfluens (Euphrates).

circumgredi verbum a Sallustio et Tacito transitiva vi indutum exstat apud A. XVI, 12, 59: lacunam palustribus aquis interfusam circumgrediens.

circumire XXI, 12, 14: miles — suburbana omnia circumibat

circumsedere XVIIII, 9, 9: cum septuaginta tresque dies Amidam multitudine circumsedisset armorum; XXXI, 5, 16: diu multitudo Thessalonicam circumsedit itidemque Cyzicum; 8, 1: quarum (civitatum) nullam etiam tum circumsedere conati sunt; sed cum verborum „circumsedere" et „circumsidere" formae praeteriti sint pares, utrum verbum scriptor adhibuerit, haud diiudicandum est. Participium passivi deprehenditur XXI, 12, 1: audiens (Julianus) hanc civitatem circumsessam — aliquotiens; XXXI, 13, 14: circumsessum (Valentem) ab hostibus.

circumsistere verbum sensu translato legitur XX, 7, 7: cum magnus terror circumsisteret muros.

circumstare 1) proprie XIIII, 2, 13 circumstetere igitur hoc munimentum per triduum et trinoctium. 2) translate XVIIII, 2, 13: tot — nos circumstantibus malis, XXX, 2, 8: quia rem Romanam alius circumsteterat metus totius Gothiae.

circumvadere verbum iam a Livio et Tacito transitive usurpatum semel apud scriptorem nostrum ita obvenit XX, 6, 3: circumvaditur civitas.

circumvenire 1) propria vi XVIII, 6, 15: circumventi — sub dicionem venissemus hostilem; XVIIII, 5, 5: cum — urbem circumveniri — advertissent; XXI, 4, 8: nihil metuentes huius modi circumvenit (Julianus); XXIIII, 6, 13: timens — ne — rapidus miles — multitudinis pondere circumveniretur; XXVI. 8, 3: circumventuri Valentem a tergo; XXVII, 10, 15: lapsorum partem Sebastianus cum subsidiali manu — trucidavit ex incauto latere circumventam; XXXI, 8, 10: in eum equitum adcursus complurium anhelum circumvenisset et fessum. b) translata XV, 5, 6: Malarichus — circumveniri homines dicatos imperio per factiones et dolos minime debere proclamans; XVI, 12, 45: formidabilis manus extremae necessitatis articulo circumventos — eruptura; XXVII. 8, 1: Fullofauden ducem hostilibus insidiis circumventum. In Vaticano manuscripto legitur „hostibus", pro quo, cum propius accedat ad litteras traditas Gelenii et Accursii „hostilibus" quam Eyssenhardtii „hostium" in textum receptum velim XXVIII, 6, 21: circumventi municipes omnes; XXVIIII, 6, 12: quod per ipsum (Equitium) circumventum regem existimabant insontem; XXX, 3, 7: Mallobaudis bellicosi regis insidiis circumventus (Macrianus); 7, 7: insidiis paene perierat circumventus.

coire verbum semel transitive inveni idque in eadem formula dicendi qua classici qui dicuntur scriptores uti solent (cfr. Draeger, I. p. 350) XXVI, 6, 14: societate coita nocturna. Alias verbum intransitive positum iteratam praepositionem asciscit, qui usus etiam bonis scriptoribus usitatissimus est XVI, 12, 47: pares enim quodam modo coivere cum paribus. Obscoeno sensu dictum est XV, 9, 6: coisse (Herculem) cum generosis feminis; XXXI, 2, 10: ubi (in carpentis) coniuges — coeunt cum maritis; 2, 18: maresque supra cum feminis coeunt.

conscendere verbum praep. „ad" assumit XVI, 10, 14: ad cuius (amphitheatri) summitatem aegre visio humana conscendit.

discurrere verbum legitur 1) proprie positum XVI, 2, 10: tramite obliquo discurso; 12, 28: agmina peditum impetu veloci discurrens (Caesar); XVII, 2, 3: navibus discurrere

flumen ultro citroque; XXI, 12, 3: discursis Thraciis; XXV, 10, 1: discursisque itineribus; XXVIII, 4, 24: polum discurrens — luna; XXVIIII, 5, 17: discursis itineribus magnis; 5, 26: cum esset utrimque discursum; XXXI, 2, 21: Armenios discurrentes et Mediam. 2) translate = narrare, de aliqua re referre XVII, 4, 1: super quo (obelisco) nunc — pauca discurram; XXX, 7, 1: actus eius (Valentiniani) discurrere. Cui adnecto

discursare intensivum, quod apud alium scriptorem transitive non inveni XV, 5, 4: memorato igitur duce Gallias ex republica discursante.

effugere verbum accusativum assumit XXV, 4, 2: Sophoclem — id adiecisse, quod gauderet harum rerum amorem ut rabiosum quendam effugisse dominum et crudelem.

emeare verbo solus Ammianus transitivam vim tribuit XXVIIII, 5, 5: emeatoque mari cum classe.

escendere verbum primum a Livio cum accusativo iunctum (cfr. Kuehnast p. 147) saepius deinde Tacitus et Ammianus eodem modo posuerunt. Locos repperi hosce XVI, 12, 58: escensis navigiis; XXI, 9, 2: lembis escensis; XXVI, 6, 18: cum — tribunal idem escendisset Procopius; 8, 12: escensa navi; XXVII, 3, 1: tribunali escenso. 6, 5: tribunal, escendit (imperator); XXVIIII, 1, 39: escenso rogo; XXX, 3, 5: escensis amnicis lembis. Semel finis, ad quem quis scandit, praepositione apposita accuratius indicatur XXVII, 6, 2: cuius (tyrannidis) arbitrio tamquam inter dignorum inopiam ad id escenderat culmen.

exambire verbum ab usu classicorum scriptorum alienum exstat idem valens quod „precibus adire“ XXVI, 7, 6: exambita regia.

excurrere = percurrere iam a Terentio transitive positum apud A. transitivam habet potestatem XXVI, 1, 10: ne — haec conputatio variantibus annorum principiis et quodam post horam sextam diei, alio post sextam excursa nocturnam, scientiam omnem squalida diversitate confundat.

incessere verbum primum a Livio cum accusativo constructum (cfr. Kuehnast p. 145) et deinde saepe a Tacito aliisque

scriptoribus Ammianus frequentissime transitive usurpavit. 1) Vi propria: XIIII, 3, 1: quae (gentes) mente quadam versabili hostiliter eum saepe incessunt; 7, 6: rectoremque — calcibus incessens (vulgus); XV, 2, 4: ut enim subterraneus serpens — adsultu subito singulos transitores observans incessit; 7, 2: plebs — terribili impetu praefectum incessebat ut timidum; XVI, 12, 42: Alamanni — primam aciem peditum incesserunt; XVIII, 8, 11: quo (latere) incessebamur; XX, 11, 9: lapidibus subiectos incessebant (defensores) et telis; 11, 17: Persae — sagittis incessebantur; XXI, 1, 6: incessere — Constantium; 12, 10: contortis mallolis madentibus pice — incessebantur; XXVII, 1, 3: barbaros Romani sagittis aliisque levibus iaculis incessebant; XXVIIII, 6, 14: Sarmatae sagacissimi — Moesiacam primam incessunt; XXXI, 13, 15: cum — sagittis incesserentur; proprie et translate XXV, 6, 6: nos hostes diversitate telorum et verbis turpibus incessebant. 2) translata XVI, 11, 8: alii — conviciis et Romanos incessebant et Caesarem; XVII, 9, 3: miles — Julianum conpellationibus incessebat et probris; 11, 1: ut segnem incessentes et timidum (Julianum); 13, 8: eum (principem) oculis incessentes et vocibus truculentis; XVIII, 5, 5: quo praesens rerum novarum avidus concitor — a gravibus inimicis et metuendis incesseretur; XVIIII, 9, 6: dux Cassianus praesidentesque ibi proceres — Crangasium incessebant; XXII, 7, 5: quos (agentes in rebus) incessens (Julianus); XXIIII, 2, 11: propinquantem (Ormizdam) probris atque conviciis ut male fidum incessebant et desertorem; XXX, 1, 17: incessebant falsis criminibus Param; 5, 3: remissior (Valentinianus) erga maiores fortunas vel verbis asperioribus incessendas.

incolere XXII, 8, 41: quam (insulam) incolunt Sindi ignobiles; 16, 8: incolentas hanc civitatem; XXIII, 6, 60: natio fera, squalentia incolens loca; 6, 62: gentes — variae hos incolunt tractus; 6, 66: incolunt — fecundissimam glebam variae gentes; XXVII, 9, 7: saxa quae incolunt; XXXI, 2, 12: Massagetas — quas incolant terras — consentaneum est demonstrare; 2, 14: Nervi mediterranea incolunt loca.

incursare verbum. cuius praepositionem Cicero semper geminavit, A. ut Tacitus non nisi cum accusativo construxit, cum Livius, rarius quidem, praepositionem quoque admiserit. Legitur hisce locis XIIII, 3, 1: incursare Mesopotamiam; XV, 13, 4: nunc Armeniam, aliquotiens Mesopotamiam confidentius incursantes (Persici duces); XVI, 5, 17: bestiae — armenta et greges incursant; 10. 20: indicantibus (nuntiis) Suebos Raetias incursare; XVII, 12, 1: Pannonias Moesiarumque alteram — incursare; XXVI, 4, 5: Austoriani Mauricaeque aliae gentes Africam — incursabant; XXVII, 12, 15: eam (Armeniam) incursare; XXXI, 5, 17: nisi quod postea latrocinales globi vicina cum sui exitio rarius incursabant.

influere verbum, cui classici non solum repetitam praepositionem. sed etiam accusativum apponunt, A transitive usurpavit XXIII, 6, 41: amnes — multi per eam (Persis) ante dictum influunt sinum.

ingredi verbum a Cicerone perraro, a Livio plerumque cum nudo accusativo constructum (cfr. Augustin p. 16 et Kuehnast p. 146) apud A. ut in Taciti scriptis ubique quartus casus sequitur. 1) Proprio sensu XV, 1, 2: ingressusque (Apodemius) regiam; 5, 5: solus ingressus intimum; 5, 18: ingresso (Ursicino) consistorium offertur purpura; XVI, 5, 14: partes eas ingressus (Julianus); 8, 7: ingressusque consistorium; 10, 10: portas ingrediens celsas; 12, 15: imperatore terras eorum ingresso; XVIII, 6, 1: Ciliciae fines ingressus (Sabinianus); 6, 12: Ursicinum — urbem ingressum; XVIIII, 10, 4: portum naves ingressae; XX, 4, 20: decurio — signa Petulantium ingressus; XXI, 12, 2: Noricosque ingressus (Julianus); XXV, 9, 1: civitatem ingressus (Binesus); 10, 10: ingressique (Gallicani milites) consistorium; XXVI, 6, 2: Julianus Persidem ingrediens; 6, 11: fines Bithynorum ingressus (Valens); XXVII, 5, 5: ingredi terras hostiles; XXVIII, 2, 13: civitatem ingressi; 6, 17: Ingresso post haec Palladio Africam; XXVIIII, 5, 18: eamque (urbem) ingressus. Accusativus nominis urbium legitur XIIII, 11, 12: ingressus Constantinopolim; XV, 5, 24: Agrippinam ingressi; XVI, 3, 2: Agrippinam ingressus (Julianus); 10, 13: Romam

ingressus (Constantius); XVIIII, 9, 5: viator — Nisibin — ingressus; XX, 9, 6: Ingressus — Parisios Leonas; XXI, 15, 1: Ingressus — Antiochiam — Constantius; XXII, 2, 3: Heracleam ingressus est (Julianus) Perinthum; XXIII, 5, 1: Cerousium — ingressus est (imperator); XXV, 10, 6: Lucillianus Mediolanum ingressus: XXVI, 4, 2: Nicomediam — ingressus; XXVIIII, 1, 4: Antiochiam imperator Romanus ingressus. Adverbia loci exstant XXII, 16, 11: quo cum vehiculo ingressa (regina): XXVIIII, 5, 40: illuc ingressus. 2) translato XIIII, 6, 4: aetatem ingressus (populus) adultam; XXII, 12, 8: Julianus novam consilii viam ingressus est.

inire verbum apud Ammianum non nisi translata vi indutum semper ut apud omnes scriptores transitive adhibetur. Accipit verbum varias significationes, prout diversa sibi adiungit nomina. XVI, 12, 46: Alamanni bella alacriter ineuntes; XXIII, 6, 30: quibus (equis) — ineuntes proelia viri summates vehi exultantes solent, quos Nesaeos appellant. Valde mihi probatur emendatio Hauptii (ind. lect. berol. 1874 p. 10), qui coniectura Gelenii „viri" pro codicum scriptura „utri" recepta nisus locis Strabonianis XI p. 525 et p. 530 scribendum suspicatur „summates vehi" pro corrupta lectione librorum „summa vehi". Summatem virum dixit Ammianus XIIII, 6, 12. XXIIII, 4, 13: ineundis — conflictibus; XXVII, 1, 2: ad bella ineunda; XXXI, 2, 8: ineuntes proelia; XV, 6, 2: id eum (Silvanum) cogitasse quod iniit non cupiditate sed necessitate conpulsum; XXI, 4, 1: iniit (Julianus) consilium tale; XXXI, 15, 7: Gothi — astutum iniere consilium; XXIII, 1, 1: quater ipse amplissimum inierat magistratum; 6, 36: septem (magos) — regnum inisse Persidos antiqui memorant libri; XXV, 10, 11: imperator — consulatum iniit; XIIII, 1, 9: inire flagitium grave; XXVII, 12, 6: iniere — obsidium duces.

irrepere verbum, cui classicae latinitatis auctores repetitam praepositionem addunt, primum Tacitus et semel quoque A. cum accusativo eoque nominis urbium construxit XXVII, 10, 1: Raudo — Magontiacum — inrepsit.

irruere verbum in classica latinitate cum praep. conexum A. posteriores poëtas secutus semel transitive praebet XVII, 13, 4. has — terras Parthicus inruens.

irrumpere verbum ab optimae latinitatis scriptoribus, quos Tacitus secutus est, cum accusativo et repetita praepositione iunctum in libris Ammianeis nonnisi accusativum asciscit a) de hominibus XV, 4, 1: Leutiensibus — conlimitia saepe Romana latius inrumpentibus; XVI, 12, 49: ardens optimatium globus — agmina nostrorum inrupit; XXI, 12, 14: patefactam inrumpere civitatem; XXIIII, 2, 17: urbem nudatam inrupit (Aemilianus); XXV, 1, 7: cum ipsae (legiones) hostium adversas inrumperent acies; XXVI, 7, 13: castra perduellium inrupturos; XXXI, 5, 9: barbarique globos inrupere nostrorum incautos; 10, 5: nostra — inruperunt (Germani.) b) de rebus inanimis XV, 4, 4: hanc ergo paludem spumosis strependo verticibus amnis inrumpens.

inundare verbum a Cicerone et Livio excepto uno loco, ubi dativus vel ablativus localis legitur, cum accusativo positum (cfr. Kuehnast p. 139 et 144) etiam A. cum quarto casu, semel tantum cum iterata praepositione construxit. Sequitur 1) proprio sensu accusativus XXIII, 6, 26: aequoream multitudinem inundantes (fluvii); XXXI, 2, 16: Gangem — fluvium — mare(que) inundantem australe. Passiva forma reperitur XXIII, 6, 57: ad Italiae speciem crebris fluminibus inundantur. 2) sensu translato a) accusativus XXXI, 5, 12: inundarunt Italiam ex abditis oceani partibus Teutones repente cum Cimbris. b) praep. „in“ c. acc., qua locus, in quem hominum multitudo se infert, indicatur XXXI, 15, 10: barbari — in urbis obseratos aditus multiplicatis ordinibus inundarunt.

invadere verbum, cui Cicero iteratam praepositionem — semel tantum dativus, semel accusativus occurrit (cfr. Kuehner II, § 76, 12) — Livius et Tacitus accusativum, rarius praepositionem adscripserunt, A. ubique cum accusativo coniunxit. 1) Propria vi = irrumpere, aggredi XIIII, 3, 4: hanc regionem — invadere; XVI, 11, 4: Laeti — invasere Lugdunum incautum; XVIII, 2, 1: haerebat (Julianus) anxius

qua vi, — terras eorum (Alamannorum) invaderet repentinus; XVIIII, 11, 4: Pannonias — invasere, XXI, 8, 4: ne improviso hostium invaderentur excursu; XXIII, 5, 10: principique aliena — invadenti; XXIIII, 2, 3: Diacria invaditur civitas; 4, 22: murorum invaduntur utrimque frontes; 4, 24: castra Lucanorum invadenti Luscino; XXV, 3, 2: invasa subito terga pone versus arma cogentium, 5, 8: agminis nostri invadi terga; 7, 12: occasio, per quam subinde licenter invaderetur Armenia; XXVI, 5, 11: ne — invaderet (Procopius) — Pannonias; XXVII, 10, 6: ne repentino invaderentur adsultu; 12, 8: cum castra nihil metuentium invasissent; XXVIIII, 5, 25: Mazicas in unum collectos invasit; 6, 15: Sarmatas Liberos — conlimitia nostra ex alio latere invadentes; XXX, 10, 2: invadens terras hostilis; XXXI, 2, 8: invadentes vallum. = iufundi XV, 4, 3: lacum invadit (Rhenus) rotundum et vastum; = potiri, arripere XIIII, 8, 15: nec piget discere avide magis hanc insulam populum Romanum invasisse quam iuste; XXII, 4, 3: aliena invadere; XXIIII, 4, 25: invaditur civitas; XXVII, 9, 1: aliena invadendi cupiditas. Eodem sensu 2) tralata vi XV, 5, 19: qui paulo antea — invadendaeque summae rei per filios adfectator conpellabatur; XVII, 13, 21: qui armis libertatem invaserant. De animi permotionibus XXVIIII, 2, 4: tantus universos invaserat terror.

involare verbum ab optimis scriptoribus cum praep. „ad, in“ exhibitum A. ut Tacitus transitive usurpavit idque sensu translato XVI, 12, 36: Germani — involavere nostrorum equitum turmas; XVIIII, 2, 6: exercitus — involat muros; XXI, 4, 8: excitatosque hostilium fragore armorum — involavit (Julianus); XXIIII, 2, 5: milites — eos (hostes) involavere fortissime. Semel finali sensu praep. „ad“ adiecta est XXV, 3, 10: miles ad vindictam — involabat.

introire verbum apud classicos scriptores et praep. „in“ et accusativum assumens A. excepto uno loco, ubi praep. „ad“ legitur, semper transitiva vi induit: Livius vero non nisi praepositione usus est (cfr. Kuehnast p. 143). Loci sunt hi: XIIII, 7, 10: nec regiam introiit (Domitianus); 11, 6

cum Bithyniam introissit; XVIII, 2, 3: ut — civitates multo ante excisas introiret; XVIIII, 3, 2: oppidum — introire; 6, 11; Galli portam — introiere; 10, 1: introire portum Augusti; XXII, 9, 15: amplam urbem principumque domicilium introeunte imperatore; XXIII, 2, 6: cum introierit civitatis capacissimae portas; XXVI, 6, 18: palatium — introiit (Procopius); XXVII, 8, 9: civitatem — introiit; XXVIII, 4, 9: ubi — tholos introierint balnearum; XXXI, 11, 4: urbem introire; 15, 4: civitatem cum iumentis introire. Posita est praep. „ad" XX, 10, 2: nullum ad suos pagos introisse meminerant (Franci) principem. Ceteris locis accusativi nominum urbium inveniuntur XIIII, 11, 15: cum Hadrianopolim introisset urbem Haemimontanam; XVIIII, 9, 4: familiarem suum — introiturum Nisibin occulte dimisit; XXI, 12, 3: Constantinopolim introiit; XXV, 10, 4: Tarsum urbem Cilicum nobilem introiit (princeps); 10, 11: cum introisset Ancyram imperator; XXVI, 5, 4: cum ambo fratres Sirmium introissent; XXVIIII, 5, 17: cum — Tiposam noster dux introiret; XXX, 5, 2: cumque — Carnuntum Illyriorum oppidum introisset; XXXI, 11, 6: Sirmium introiit.

intercurrere verbum primum apud A. transitivam assumit vim XXII, 8, 7: Europam et Bithyniam intercurrens (Aegaeum mare). Passiva forma exstat XV, 10, 10: navigatione veloci intercurso spatio maris haud longo. Cfr. Draeger, I p. 351, qui non accurate de verbo disputat.

interiacere verbum, cui primus Livius praeter dativum adscripsit accusativum (cfr. Kuehnast p. 136), Ammianus semel transitive usurpavit XV, 8, 18: qui (locus) Laumellum interiacet et Ticinum.

interlabi verbum primum apud A. transitivam potestatem accepit XXII, 8, 17: Thermodon — Themiscyraeos interlabens lucos. Cfr Draeger, I p. 350.

intermeare verbum Plinio praeeunte denuo A. transitivo sensu posuit XV, 11, 16: eamque (paludem) intermeans (Rhodanus); XXVI, 6, 5: Constantinopolim — clanculo saepe intermeans (Procopius).

obsidere 1) proprio sensu XV, 10, 10: obsessis (Saguntinis); XVI, 7. 1: Constantius doctus obsesso apud Senonas Caesari auxilium non tulisse Marcellum; 7, 3: Caesarem obsessum apud Senonas; 7. 10: cum a Manlio prisco imperatoris legato munimentum — obsideri coepisset; 12, 59: aggerem nemorosum cautius obsidebat; XVIIII, 1, 4: obsessi; 2, 3: Persae omnes murorum ambitus obsidebant; XX, 7, 15: obsessi; 7, 16: ad eadem (castra) obsidenda; 8, 8: palatium obsidere; XXI. 12, 15: obsideri remissius coepta est (civitas); XXIIII, 4, 11: manus — quae obsidebatur; 4, 20: obsessorumque industria; 5, 7: munimentum — obsidere; XXVI, 6, 14: in modum tenebatur (Procopius) obsessi; 8, 2: ad quam (Nicaeam) obsidendam; XXVIII. 1, 3; Persae, obsidentes Miletum; 2. 13: ambitiosam domum cuiusdam primatis — cum gladiis obsederunt; 6. 15: obsessaque urbe per octo continuos dies; XXVIIII, 6, 1: obsessaque — Aquileia; XXXI, 5, 16: obsessae Pamphyliae civitates; 16, 2: Obsessi — apud Hadrianopolim. = claudere XXIIII, 1, 6: obsidebatur insula; = sedere ante locum XXXI, 5, 7: populus, qui muros obsidebat. 2) sensu translato XXXI, 10. 12: obsessos inviis cautibus colles.

peragrare verbo A. ubique accusativum adiunxit, quae structura etiam a classicis scriptoribus adhiberi solet. Locos inveni hosce: XVII; 13, 27; peragrare pedibus flumina; XXII, 8, 4: Xerxes maria pedibus peragravit; 15, 9: orbem peragranti (Nilo); XXVIII, 6, 3: nostra peragrando; XXXI, 2. 4: vagi (Huni) montes peragrantes et silvas; 6, 6: magno usui idem fuere ignota peragrantibus loca; 16, 7: per arctoas provincias, quas peragravere licenter ad usque radices Alpium Juliarum. Passive positum est: XXV, 4, 13: peragratis spatiis regionum extentis; XXX, 5, 15: peragrata fluminis ripa.

percurrere verbum ut apud optimos aliosque scriptores ita apud A. accusativo utitur. Locos, ubi verbum legitur, congestos exhibet Reinhardt p. 47, qui omisit locum XVIII, 9, 3: percursis itineribus. Cui adsero

percursare intensivum, cuius transitiva vis ab usu scriptorum aetatis Ciceronianae aliena apud A. semel deprehenditur; cfr. Reinhardt p. 46.

perfluere verbi, exempla transitivi usus vide Reinh. p. 46.

permeare verbi poëtarum scriptorumque posterioris aetatis proprii locos collectos reperis apud Reinh. p. 46 sq. Praeterea semel praepositio geminata exhibetur XXII, 8, 13: Bospori vocitati, quod per eos quondam Inachi filia mutata — in bovem ad mare Jonium permeavit. Discrimen vero id inter duas structuras intercedit, ut accusativus sine praepositione rem simpliciter significet, quo verbi actio pertinet, praepositio autem apposita totum spatium indicet, per quod motus patet.

persultare verbum post Lucretium a Tacito cum accusativo constructum A. saepius transitive adhibuit. Exempla, quibus adicias XXVII, 1, 1: Gallicanos limites formidati — persultabant (Alamanni), exhibet Reinh. p. 47.

pervadere verbum ab A. ubique cum accusativo inde a Livio usitato coniunctum usurpatur; Cicero non nisi praep. „ad, in“ verbo adiunxit, cum Livius et Tacitus praeter transitivum usum etiam praepositiones admiserint. Locos congessit Reinh. p. 47, quibus addas XVIIII, 11, 8: ut — aliorsum intentos post terga pervaderent inprovisi.

praecedere verbum, cui classici dativum et accusativum opponunt (cfr. Seyffert, lat. Grammat. 5. Aufl. Vorrede p. 8), A. sicut Livius semper transitive adhibuit. 1) Proprie XXV, 3, 11: quos (oppositos) elephanti — praecedentes; XXVIIII, 2, 13: funus eius (Heliodori) per vespillones elatum pullati praecedere honorati conplures — iussi sunt. 2) translate XX, 5, 10: Nocte —, quae declarationis Augustae praecesserat diem.

praecurrere verbo iam a classicis transitive posito A. accusativum adiunxit idque ubique sensu translato XV, 5, 26: nec praecurrentes eam (oportunitatem); XVI, 12, 25: efficacia praecurrens (Serapio) aetatem. Passivum legitur XVIII, 2, 1: rumore praecurso; quae verba repetuntur XXIII, 2, 2.

praegredi verbo, quod ante Livium transitive non legitur (cfr. Kuehnast p. 147), ut Tacitus aliique posterioris aetatis auctores sic Ammianus accusativum accommodavit XV, 5, 20: propulsationem obiectorum criminum eundem ducem parantem (Ursicinum) praegressus — imperator; XVIII, 6,1 3: quos — iumenti agilitate praegressus; 8, 5: Antoninus ambitiose praegrediens agmina; XXV, 8, 13: Hos tabellarios fama praegrediens; XXVI, 7, 2: Hos omnes Sophronias vivacissimo cursu praegessus.

praevenire verbum inde a Livii aetate transitivam vim assumens (cfr. Kuehner, II, § 70. 4. B) A. Tacitum sequens cum accusativo coniunxit. Legitur hisce locis XIIII, 2, 9: raptim igitur properantes ut motus sui rumores celeritate nimia praevenirent; XVII, 8, 1: Caesar — Alamannos praevenire — maturabat; XXI, 5, 6: ut — adversa praeveniamus mentium societate iunctissima; XXV, 9, 8: famam adventus sui praevenire festinans (Jovianus); XXVIII, 3, 1: oportuna ubique ad insidiandum barbaris praeveniens (Theodosius); XXX, 1, 12: hi — conpendiosis vallibus eius itinera praevenerunt; XXXI, 8, 8: profanandum pudorem optans morte, licet cruciabili, praevenire. Passiva verbi forma exhibetur; XVII, 12, 4: qui (barbari) — praeventi; XVIII, 2, 14: sollicitarum gentium opinione praeventi; XVIII, 2, 14: sollicitarum gentium opinione praeventa; 6, 3: fama celeritate praeventa; XXV, 10, 16: fatali praeventus est (Varronianus) morte; XXVII, 2, 1: maiorem barbarorum plebem — praeventam ad internecionem exstruxit (Jovium); XXX, 7, 10: morte praeventus (Valentinianus); XXXI, 3, 3: tempore arto praeventi (Alatheus et Saphrax).

praeverti verbum (de quo vide Schneemann p. 46), quod deponens primum apud Plautum accusativum asciscit, semel apud A. transitive legitur XVI, 11, 14: multitudo barbarica rumorem nimia velocitate praeversa. Absolute dicitur XXIII, 2, 7: fama de se nulla praeversa; XXVI, 8, 3: rumore quodam praeverso.[1]) Contra scriptorum pedestris orationis

---

[1]) Errat igitur Georges in lex. s. v., cum verbi „praeverti“ nisi praesentis formas non obvenire censeat.

primus Livius eumque secutus Tacitus verbum „praevertere“ transitive usurpasse videtur. cfr. Kuehnast p. 147.

praetercurrere verbum primum apud A. transitivam potestatem accepisse videtur (cfr. Draeger I, p. 352), bis enim passive legitur XXII, 8, 23: praetercursis partibus memoratis; 9, 3: praetercursa Chalcedona et Libyssa

praeterfluere verbo a Sallustio et deinde a Livio cum accusativo iuncto (cfr. Draeger. I p. 352) Ammianus transitive usus est XXII, 8, 38: quos (triumphaeos) amnes Chronius et Visula praeterfluunt.

praetergredi verbo ut iam classici scriptores et Tacitus (cfr. Draeger, I p. 352) ita A. accusativum adscripsit XXI, 13, 6: conpertum est Julianum Italiam et Illyricum cursu celeri praetergressum; XXIIII, 3, 14: exercitus plures praetergressus est insulas.

praeterire verbi transitiva potestas classicis auctoribus usitatissima persaepe apud Ammianum invenitur. 1) Proprio sensu XXII, 8, 15: cum eos (scopulos) Argo prima omnium navis — praeterisset innoxia; XXIII, 6, 40: omnes has regiones praetereunt multi. Passiva forma XIIII, 2, 15: praeterito Calycadni fluminis ponte; XXIIII, 2, 2: alia postridie castra ob muros invalidos derelicta praetereuntur incensa. 2) sensu translato XVII, 4, 12: veterem principem — hunc (obeliscum) intactum ideo praeterisse, quod —; XXVII, 12, 4: nequid intemeratum perfidia praeteriret. Eandem vim verbum habet atque „omittere, neglegere“ XVI, 10, 12: similia multa — praetereo; XXIII, 1, 1: ut praetereamus negotiorum minutias; 6, 8: ut bella praetereamus Alexandrina et testamento. In plerisque editionibus scriptum est „Alexandri“, pro quo Gardthausenus codicum scripturam „alexandrinae testamento“ secutus suo iure scripsit „Alexandrina et.“ (Cfr. con. Ammian. p. 26 sq.) XXV, 3, 20: ne — dignum praeteream; 4, 9: ut multa praeteream; XXVIIII, 1, 15: si gesta praeterit sciens; XXX, 7, 7: Utque multa praetereamus. Passive XXIII, 6, 1: quid debeat praeteriri scrutatur; XXVI, 1, 1: si praeteritum sit; XXVIIII, 1, 6: exclamabat Palladius confidenter

levia esse haec; 3, 9; illud tamen nec praeteriri est aequum. XXXI, 14, 8: illud — praeteriri non convenit. Praeterea forma perfecti passivi persaepe vi adiectivi praedita legitur XIIII, 10, 2: damnis super praeteritis maerens (Constantius); 10, 14: concessionem praeteritorum poscunt et pacem; XVI, 12, 17: anno praeterito; XVII, 5, 1: formidoque praeteritorum — meruit (Suomarius); 12, 9: ex praeterito casu; XVIII, 2, 8: ex pactione praeterita; 2, 14: perque expeditiones praeteritas; XVIIII, 11, 1: anno praeterito; XX, 1, 1: praeteritarum cladium; 8, 15: praeterita recordantes; XXI, 1, 3: ex praeteritis; 13, 12: doloris praeteriti recordatio; ibidem: aliud accidit, — praeteritis maestuis; XXII, 9, 1: aviditate semqer insectandi praeterita ut damnosa et noxia; 12, 1: ad ultionem praeteritorum; XXIII, 5, 18: ut medeamur praeteritis; XXIIII, 6, 7: documentis praeteritis; XXV, 4, 15: praeteritae potestates; 4, 25: praeteritorum recordatio; 6, 10: praeteriti temporis: XXVIII, 6, 10: fiducia sublati (globi barbarici) praeteritorum; XXVIIII, 5, 8: veniam cum concessione praeteritorum — poscebat; 5, 27: ipse praeteritis elatior casibus; 6, 16: concessionem petivere praeteritorum et veniam; XXX, 1, 10: diebus praeteritis; 6, 1: pacem cum praeteritorum oblitteratione suppliciter obsecrantes; 8, 1: posteritas, incorrupta praeteritorum — spectatrix; XXXI, 5, 11: recens praeteritae — aetates; 10, 21: praeteritorum textu; 15, 8: die praeterito; 15, 10: praeteritorum vulnerum.

praeterlabi verbo, cui primus Vergilius accusativum adiunxisse videtur (cfr. Draeger, I p. 352), A. transitivam vim tribuit hisce locis XV, 11, 16: summitates undae praeterlabens segnioris; XVII, 13, 4: spatia longa et lata — praeterlabens (Parthicus); XXI, 12, 8: civitatem Natisone amni praeterlabente; XXII, 8, 4: Cynossema — et Coelam praeterlabitur (Aegaeum mare) et Seston et Collipolin.

praetermeare verbum a posterioris aetatis auctoribus demum in usum sumptum A. transitive positum exhibet XXIIII, 2, 2: praetermeantes moenia ipsa naves nostras. De fluminibus dictum est XIIII, 8, 10: imosque pedes Cassii montis illius

celsi praetermeans (Orontes); XXII, 15, 9: Aethiopiae — partes praetermeans Nilus; XXIIII, 2, 7: Naarmalcha Clesiphonta praetermeat; XXXI, 2, 13: Hister — Sauromatas praetermeat; 8, 6: quos (tractus) praetermeat Hister.

praetervolare verbi transitiva vis classicorum scriptorum propria apud A. invenitur XVI, 12, 29: hostium tela praetervolans (Caesar).

proficisci verbum accusativum, qui directionem significat, assumit XXVII, 8, 2: Jovinus eadem loca profectus Sic codices; miror Muellerum (Fleck. J. f. Phil. 107 p. 345) ad verba „eadem loca" praepositionem „ad" adscribi velle, cum verbis motum exprimentibus non solum nominum propriorum, sed etiam appellativorum accusativum directionem significantem persaepe in lingua latina addi satis notum sit. (cfr. Draeger, I § 176.) Neque alius est accusativus verbo „adventare" pluries apud A. adiunctus; contra alius generis esse accusativum verbis „praevenire, discurrere" a Muellero allatis datum primo obtutu patet.

subire verbum, cui boni scriptores notione et propria et translata praeter praepositiones plerumque accusativum (cfr. Draeger, I p. 352 sq.), Livius vero etiam dativum admisit (cfr. Kuehnast p. 138 et 146), apud A. sicut in scriptis Taciteis ubique transitivum est. 1) Proprio sensu a) = intrare XXXI, 2, 4: peregre tecta nisi adigente maxima necessitate non subeunt. Haec verba egregie sanavit Accursius ex codicum corrupta scriptura „tec [lac. 8 litt.] adimente." b) = accedere, appropinquare XX, 6, 2: si moenia subire temptasset (multitudo). c) = descendere XVII, 7, 11: ventorum — subeuntium ima terrarum. 2) sensu translato, ubi varias habet significationes, prout cum diversis coniungitur substantivis XIIII, 2, 17: anceps subire certamen; XVIIII, 5, 5: subeundae indicium pugnae, XXVII, 10, 9: quod erat oportune subeundae indicium pugnae; — XVI, 12, 41: reduxit (Caesar) omnes ad munia subeunda bellandi; XVIIII, 11, 6: ut — tributariorum onera subirent et nomen; — XXIII, 5, 4: ne — inrevocabile subiret (Julianus) exitium; — XXIII, 5, 17: subire —

facinora memoranda; 5, 23: quicquid occurrerit difficile subituri.

subrepere verbum, cui poëtae scriptoresque posterioris aetatis dativum et accusativum adscribunt (cfr. Draeger, I p. 353 et 387), quae structurae ab usu scriptorum optimorum sunt alienae, A. transitive adhibuit XVII, 7, 11: eas partes soli convibrant (venti), quas subrepserint umidi. Haec exhibent omnes manu scripti libri omnesque editiones. Sed quid sibi velit „umidi", non video. Neque scriptura „tumidi (sc. soli)," quam legendam proponit Gardthausenus, loco succurri puto, cum admodum langueat. Si aliter Eyssenhardtio affirmanti in Vaticano recentiore manu adscriptum esse „umidi" fides habenda est, Cornelisseno assentior, qui „umidi" ortum per dittographiam ex seq. „unde" delendum esse arbitratur. (cfr. Muemosyne, Nova Series, vol. XIIII, p. 250.)

subsidere verbum scriptorum prosae orationis primus A. transitive usurpavit. Ponitur 1) de loco XIIII, 3, 2: Osdroenae subsiderat (Nohodares) extimas partes; XV, 2, 4: ut enim subterraneus serpens foramen subsidens occultum; XXIIII, 4, 29: index nuntiaverat — fallaces foveas et obscuras — subsedisse manum insidiatricem; XXX, 4, 8: genera hominum — subsidentium divites domus, quo loco praeterea eadem vis verbo subest atque in nostrate lingua „auflauern", quo sensu verbum legitur 2) de hominibus dictum XVI, 8, 3: Per idem tempus fer . . . . incusarat certum an incertum: unde insontem Rufinus subsidebat — apparitionis praefecturae praetorianae tum etiam princeps ob devotionem Verba post lacunam indicatam, quae certa emendatione nondum expleta est, in codice Vaticano Eyssenhardtio auctore ita exhibentur: „incusarat . . . . . certum an incertum undensotam rufinus subseda." quae foedis mendis inquinata sunt. Quae vitia ut tollerent docti viri alii aliam ingressi sunt viam. Atque P. Castellus quidem scripsit „reum non libet affirmare, indefensam" retinens antecedentia „incusarat: certum an incertum," quae intellegi nequeunt, Valesius melius quidem, sed a codicis Vaticani memoria nimium in modum recedens „incusarat: quem incertum unde infenso

animo Rufinus subsidebat." Wagnerus „incusarat: certum an incertum. insontem Rufinus subsidebat." quae scriptura sana sententia destituta est, neque melius Gardthausenus distinctione post „incertum" posita „incusarat certum an incertum; unde insontem Rufinus subsidebat." nam quo pertineant in enuntiato verba „certum an incertum" prorsus me fugit. Kellerbauerus „incertum sontem an insontem." quod, cum his verbis lacunam indicatam non suppleri posse recte indicet Dederichsius (quaest. Ammianeae grammaticae et criticae. Monast. dissert. 1878 p. 36 sq.), probari nequit. Plus probabilitatis habet emendatio Dederichsii, qui dicendi consuetudinis scriptoris ratione habita (cfr. XIIII. 1, 10; 7, 20; XV, 5, 34) coniecit „incusarat, qua de causa incertum, unde insontem Rufinus subsidebat." Sed cum litterae traditae tam mutilae sint, vix fore ut interpretibus contingat, ut genuina scriptoris verba restituantur, Dederichsius ipse profitetur. XXVIII, 4, 22: Subsident aliqui copiosos homines senes aut iuvenes.

supereminere verbum poëtarum proprium (cfr. Draeger, I p. 353) auctorum pedestrium primus A. transitive usurpasse videtur XXII, 15, 27: quas omnes (serpentes) magnitudine et decore aspis facile supereminens.

supergredi verbi transitiva vis ab elocutione classicorum scriptorum aliena sicut apud posteriores auctores ita pluries apud A. invenitur. 1) Proprie XXIIII, 6, 6: praealtas ripas et arduas supergressus (miles). 2) translate XIIII, 1, 3: Supergressa iam impotentia fines mediocrium delictorum. Codices praebent „potentia", pro quo sententia postulat „impotentia", quod Wagnerus eumque secutus Gardthausenus recte in textu posuerunt. Vocula „iam" praecedente syllaba „im" facile excidere potuit. 5, 6: iussa licentius supergressus (Paulus); XXV, 5, 8: periculum ex inimico metuens (signifer) iam communia supergresso; XXVII, 6, 16: Valentinianus morem institutum antiquitus supergressus; XXVIII, 1, 25: crudele praeceptum supergressum omnia diritatis exempla.

supermeare verbo iam a Plinio cum accusativo exhibito A. transitive usus est XIIII. 1. 7: amnem supermeat imperator.

superscandere verbum primum a Livio transitive positum A. cum accusativo exhibet XIIII. 7. 16: superscandentes corpora mortuorum ad ultimam truncata deformitatem.

transcendere XIIII. 6. 4: Alpes transcendit (populus) et fretum

transcurrere verbi usus transitivus poëtarum scriptorumque posterioris aetatis peculiaris (cfr. Kuehner II. § 70, 4. A. a) saepius in libris Ammianeis invenitur. Legitur 1) proprie dictum XV. 11. 2: postque oppida multa transcursa; XVI, 10, 4: transcurso Ocriculo; XVIII, 3. 9: isdemque collibus agiliore volatu transcursis: XXI. 7, 7: Euphrate navali ponte transcurso; XXVIII. 6. 10: Leptitanoque agro et Oeensi interneciva populatione transcursis. 2) translate XIIII. 11. 29: pauca (exempla) tactu summo transcurram; XXVII. 4. 1: pauca super harum origine regionum et situ transcurrere. De tempore positum est XXIII. 6, 9: transcursisque temporibus longis.

transgredi XVII. 12, 4: flumen Histrum — transgressus; XXI, 4. 3: transgressus Vadomarius flumen; XXII, 9, 3: transgressus — fretum; XXIII, 5, 5: transgressus pontem; 6, 7: Bospori fretum — transgressum (Cyrum); XXV, 7, 3: parique natatu quingenti viri transgressi tumidum flumen; XXVII. 5, 2: flumen transgressus est (Valens) Histrum; XXVIIII, 2, 14: quasi scopulos Sirenios transgressurus; 6, 6: Danubium transgressae (gentes).

transire verbum exstat 1) proprio sensu positum XVI, 2, 11: nec itinera nec flumina transire posse sine insidiis putans (Julianus); 11. 8: transiturus amnem; 12. 19: flumen transisse Germanos; XVIII, 7, 2: unum e navalibus pontem transisse reges; 10, 1: ut transiturus (rex) Amidam; XX. 9. 9: fretum oceani transire; XXI, 7, 1: Parthos — transituros — Euphratem; 9, 2: oppida forinsecus transibat (Julianus) et castra; 12, 13: fossam transire; XXII. 5, 5: cum Palaestinam transiret (Marcus); 6, 3: transire Chalcedona; XXIII, 2, 2: transire — Euphraten; 6, 21: quos (amnes) ipsi transivimus. „Quos ipsi“, quod Eyssenhardtio debetur, haud

dubie recte a Gardthauseno receptum est pro vitiosa Vaticani scriptura „quos sie“. 6, 68: cumque — fluvium transierint advenae; XXIIII, 2, 8: hanc (Naarmalcham) peditatus omnis — transivit; XXVI, 10, 19: nos transeundo; XXVII, 10, 6: Valentinianus — Rhenum transiit; XXX, 1, 8: cum voraginosum amnem vado transire non posset; XXXI, 4, 5: transeundi Danubium copiam — adepti; 9, 3: transiere flumen. Passiva verbi forma reperitur XV, 10, 10: transito Rhodano; XVI, 11, 9: doctus (Caesar) — fluvium vado posse transiri; 12, 11: quae si dederit quisquam commode posse transiri; 12, 59: Rheno transito, quae verba redeunt XVII, 10, 1 et XXXI, 10, 11; XVIII, 2, 7: per pontem illic constitutum transiri debere; 6, 19: transitis fluminibus Anzaba et Tigride; 7, 29: ideoque vado nequaquam posse transiri (Euphratem); XX, 11, 4: transito Euphrate; XXI, 9, 4: transitis Alpibus Juliis; XXIIII, 2, 2: quo (loco) transito; 2, 3: amne transito; 2, 4: quod angusta fluminis interluvies et praealta transiri vado non potuit; 4, 31: transitis pontibus; XXV, 6, 11: transeundi Tigridis; 8, 2: transeundi amnis; XVVIII, 5, 10: transito — Rheno; XXXI, 2, 13: hoc (Tanai) transito. 2) translato XXIII, 5, 16: ut Lucullum transeam vel Pompeium.

transmeare verbum a posteriorum temporum scriptoribus demum in usum vocatum apud A. occurrit XXV, 6, 14: flumina transmeare; XXVII, 8, 6: transmeato — freto.

transmittere XVIII, 2, 8: ne transmitteret (exercitus) flumen. Passivum exstat XVII, 1, 2: flumine pontibus constratis transmisso; XVIII, 7, 1: Ninive Adiabenae ingenti civitate transmissa; 7, 8: Nisibi — transmissa; XVIIII, 11, 6: transmisso flumine; XX, 6, 1: transmisso — Tigride; 10, 2: Rheno — transmisso; XXIII, 2, 7: Euphrate navali ponte transmisso; 5, 9: post Halyn flumen transmissum; XXIIII, 6, 4: flumine — transmisso; XXVII, 5, 6: ad transmittendum amnem.

transnare XXIIII, 2, 8: equites — clementiores gurgites fluminis obliquati transnarunt. Cui subicio

transnatare frequentativum etiam apud classicos scriptores occurens XXIIII, 6, 7: Rhodanum — transnatatum.

B. Verba quae ad membrorum quorundam corporis humani actionis pertinent.

alloqui XIIII, 7, 12: advocatos palatinarum primos scholarum adlocutus est (Montius) mollius; XV, 6, 3: donatum stipendio militem Constanti nomine adlocutus est (Silvanus); 8, 11: Caesarem cum exercitus gaudio declaratum his adloquitur (Constantius); XVI, 10, 13: adlocutus nobilitatem in curia populumque e tribunali; 12, 8: cuneatim circumsistentes adloquitur (Caesar); 12, 29: adloqui — omnes; XVII, 12, 19: eosque — adlocutus — imperator; 13, 25: exercitum adlocutus est (Constantius); XVIIII, 11, 10: imperatore — meditante (que) adloqui velut morigeros iam futuros; XX, 4, 15: sedatos leniter adlocutus; XXIII, 3, 9: dumque hos (regulos) adloquitur (Julianus); 5, 15: militem adloqui; XXV, 3, 15: Julianus — circumstantes adlocutus est; 4, 12: adlocutusque tumentes armates; XXVI, 6, 16: beneficii adlocutus (Procopius) auctores; XXVII, 6, 11: adloquitur advertentem (Gratianum), quae dicebantur; XXVIIII, 5, 5: Romanum adlocutus.

aspirare verbum translata vi transitive usurpatum est XVIIII, 6, 1: Adspiravit auram quandam salutis fortuna. Semel praepositione „ad“ semper a Cicerone posita finis, qui appetitur, exprimitur XXVIII, 3, 6: Africanus — post administratam provinciam ad regendam aliam adspiravit.

circumfremere verbum scriptorum posterioris aetatis proprium exstat XXI, 13, 13: circumfrementes Illyricum nationes exteras.

circumlatrare verbum apud classicos scriptores non occurrens legitur 1) proprio sensu XXII, 16, 16: ut inmania frementem leonem putredulis vocibus canis catulus longius circumlatrans. „Putredulis“ vocabulum cum non solum ad litteras libri Vaticani „pitredulis“ proprius accedat, verum etiam in comparationem melius quadret, quam „putidulis“ ab Eyssenhardtio Gelenium secuto in textum illatum, non dubito in

textu retinere. 2) translato XVI, 6, 1: in comitatu vero Augusti circumlatrabat Arbetionem invidia; XXII, 12, 4: haec diu multumque agitantes frustra virum circumlatrabant immobilem occultis iniuriis.

circumspicere XIIII, 10, 12: miles ubique — se solam vitämque propriam circumspicit; XX, 8, 3: circumspectis itaque trepidis rerum novarum exordiis; XXVIII, 3, 5: multa — clam palamque circumspiciens (Valentinus); loco obiecti enuntiatum interrogationis indirectae positum est XVIII, 8, 11: dum — quid agerem circumspicio; XXVIII, 5, 8: circumspiciens (Valentianus) quibus commentis Alamannorum et Macriani regis frangeret fastus. Cui adnecto

circumspectare frequentativum XVI, 12, 38: equites nihil praeter fugae circumspectantes praesidia; XXI, 4, 8: dum gladios circumspectant et tela; XXII, 8, 18: viresque suas circumspectantes (Amazones); 15, 22: otium pervigili studio circumspectat; XXVII, 12, 11: Para itidemque Cylaces et Artabannes, nulla circumspectantes auxilia. Sequitur accusitivus cum infinitivo XXXI, 13, 5: circumspectantes ademptum esse omne evadendi suffugium.

conclamare verbum sicut Livius alii ita A. pluries transitive posuit idque ubique in passivi forma XXIIII, 6, 11: cum undique — conclamaretur; XXVII, 10, 9: cum undique ad arma conclamaretur. = deplorare, lugere XV, 8, 21: salutarem quendam genium adfulsisse conclamatis negotiis arbitrata; XX, 8, 17: rerum adcerbitates iam conclamatas; XXI, 15, 4: supremis cum gemitu conclamatis; XXX, 10, 1: Post conclamata imperatoris suprema.

concrepare XXVIIII, 4, 7; morsus vacuos concrepans (Valentinianus). = proclamare, salutare XX, 4, 14: Augustum Julianum horrendis clamoribus concrepabant. Bis accusativi adiectivorum neutri generis adverbii loco positi exstant XVI, 12, 27: torvum concrepantibus tubis; XXVI, 6, 16: scutorum lugubre concrepantium (de quo usu cfr. Hassenst. p. 9).

contremere XX, 11, 14: verum has admoventes fortitudine magna Romani licet difficili defensabant, tamen cupiditate

potiundi oppidi ne prompta quidem pericula contremebant. Codex Vaticanus praebet corruptam scripturam „contemneliant", pro qua Pbga habent „contemnebant". Sed ne sic quidem omnia bona et recta sunt. Cum enim scriptorem dicere voluisse appareat Romanos machinas muris urbis Bezabdae admotas, quas Persae maxima vi exurere enitebantur, licet summa difficultate defendisse et cupiditate oppidi potiundi commotos etiam aperta pericula parvi aestimasse, verbum „contemnebant", quippe quod sententiam efficiat contrariam, ferri nequit. Quare Pet. Langen (Philol. XXVIIII p. 487) scribendum esse coniecit „contremebant", quod, ut mihi quidem videtur, Gardthausenus suo iure adoptavit, cum ad litteras traditas prope accedat et ad sententiarum conexum certe sit accommodatum. Nullius vero momenti esse existimo, quod verbum „contremere" priscae latinitatis sit proprium, cum Ammianus talia verba saepius denuo in usum assumpsisse notum sit.

demussare verbum, quod primus Apuleius usurpavit, apud A. exstat XXX. 1, 15: iniuriis, quas pertulerat, omnibus demussatis.

deplorare XV, 8, 1: adsidui nuntii deploratas iam Gallias iudicantes; XVII, 12, 19: quae deplorantes; XXVII, 9, 6: deploratis novissime rebus; XXVIII, 1, 56: haec — funera urbs deploravit aeterna.

despectare verbum transitive legitur XIIII, 11, 25: quam (Nemesim) theologi veteres — ex abdita quadam aeternitate tradunt omnia despectare terrena; XXVIII, 4, 34: alii nauseam horridae carnis — intentius despectantes. De situ locorum dictum est XVIII, 9, 2: Mesopotamiae plana despectat (urbs); XVIIII, 5, 4: In summoto loco partis meridianae murorum, quae despectat fluvium Tigrim; XXI, 10, 3: Thracias despectantes (montes) et Philippopolim; XXII, 8, 8: supercilia eius sinistra Athryas portus — despectat; 15, 8: despectat (mons) oceanum; XXIII, 6, 13: Mesopotamiam — despectat. = despicere contemnere XV, 9, 8: drasidae — despectantes humana pronuntiarunt animas inmortales. In libro Vaticano legitur „dryaridae" et in bga

„Druidae“; sed cum paragrapho quarta huius capitis eodem codice exhibeatur „drasidae“, non dubium esse puto, quin Gardthausenus ut paulo ante pro corrupto „dratis“ ita hic recte in textu posuerit „drasidae“. (con. Ammian.. p. 6.)
difflare XXV, 9, 7: difflantibus procellis rem publicam.
eludere 1) = aliquid irritum reddere XXIIII, 4, 15: Persae — eludere — exitiales impetus conabantur. 2) = fallere, decipere XXVI, 9, 6: elusis hostibus.
erubescere verbum ex usu poëtarum et prosae orationis auctorum posteriorum A. transitive usurpavit XIIII, 6, 11: dotatur ex aerario filia Scipionis cum nobilitas florem adultae virginis diuturnum absentia pauperis erubesceret patris. Pro mendosa codicum scriptura „absentiam“ Valesius legendum proponit „absentia“, quod Eyssenhardtius et Gardthausenus in textu collocaverunt. Qua mutatione recepta cum verba haud ita obscure dicta sint, ut non intellegantur, nihil aliud mutandum esse puto; nam „florem adultae virginis diuturnum“ verba quin idem sonare possint quod „obsolescentem florem“, id quod Guentherus negat, haud dubius sum. Quare non opus esse censeo emendatione Guentheri p. 9 sq. proponentis „cum — diuturna interiturum absentia pauperis erubesceret patris.“ De infinitivo verbo addito cfr. Kallenb. p. 16.
exsudare verbum translato sensu transitivam induit vim XIIII, 10, 11: post exsudatos labores itinerum longos.
extuberare verbum apud alios scriptores nonnisi intransitive usurpatum Ammianus unus vi transitiva induit XXII, 15, 23: extuberato ventre; XXV, 10, 13: extuberato capite.
increpare verbo omni latinitatis aetate transitive adhibito etiam A. accusativum adscripsit; Livius vero nonnumquam praepositionem geminavit. Ubique fere verbum ita exhibetur, ut ei plus minusve notio reprehendi vel obiurgandi sit admixta XIIII, 7, 8: Montius Epigonum et Eusebium — aliquotiens increpabat; XV, 8, 13: modeste increpans desides; XVI, 12, 40: eosdem lenius increpans; 12, 64: ut agentes petulantius milites increpabat (Julianus); XVIII, 8, 5: obiurgatorio sonu vocis increpitus (Antoninus); XXIIII, 2, 15: fodicare — paratos valvarum latera — vocibus increpans

(imperator) crebris; 7, 3: increpitis optimatibus; XXV, 3, 22: flentes — increpabat (Julianus); XXVI, 2, 5: increpare quosdam ut seditiosos et pertinaces; XXVII, 12, 14: Param et incuriosum sui per latentes nuntios increpabat (Sapor); XXVIII, 6, 19: Romanumque ut desidem increpans (Palladius); XXVIIII, 5, 5: Romanum — parum super his, quae verebatur, increpitum; 6, 3: Maximinus — increpabat Aequitium; XXX, 6, 3: imperator — increpabat verborum obiurgatorio sonu nationem omnem ut beneficiorum inmemorem et ingratam. Bis genetivus rei additus est XVIII, 5, 6: ut quondam Maharbal latitudinis increpans Hannibalem; XXI, 16, 13: crudelitatis increpans (Tullius) Caesarem. cfr. Draeger, I § 209.

inflare 1) propria vi XVI, 8, 11: inflabant — has malorum civilium bucinas potentes in regia; XVIII, 4, 1: orientis fortuna periculorum terribiles tubas inflabat; 7, 9: Euphratem — inflatum; XXIII, 6, 19: magnitudine aquarum inflatus (fons). b) translata XVI, 12, 68: inflabant — imperatorem; XVIIII, 12, 1: ad vicem bellorum civilium inflabant literi quaedam colorata laesae crimina maiestatis.

implorare XIIII, 9, 1: inplorans subsidia; 9, 6: inplorans caelo iustitiam; XV, 7, 5: quo — tribulium(que) adiumentum nequicquam implorante; XVII, 7, 7: quidam — aliorum adiumenta paria perferentium inplorantes; XXIII, 2, 1: auxilium — inplorare; XXVII, 7, 5: implorasse iuris auxilium; XXVIII, 6, 5: Leptitani — praesidium inploravere Romani comitis.

impugnare verbum translate adhibetur XV, 2, 4: impugnabat autem eum per fictae benignitatis inlecebras collega; XVIII, 1, 4: vehementer eum inpugnans; 4, 3: Eusebi — ante dicti magistri equitum salutem acriter impugnantis.

inquirere verbo, quod Cicero cum praep. „in“ et Livius ubique cum accusativo construxit (cfr. Kuehnast p. 143), A. et praep. „in“ et accusativum coniunxit. Legitur 1) „in“ XV, 6, 1: inquirentibus in negotium consistorianis atque militaribus; XVIIII, 12, 17: inquisitum in haec negotia fortius nemo — reprehendit; XXVI, 6, 5: postquam saepius in

factionis conscios est inquisitum; XXVIII, 1, 21: vigore nimio in negotium iussit (Valentinianus) inquiri; XXX, 5, 3: ita intepuit ut neque in Gabinii regis inquireret necem. 2) accusativus XIIII, 7, 21: nullo inpositorum vel conpositorum fidem sollemniter inquirente; XVI, 12, 53: alii — lucis usuram oculis morientibus inquirebant; passiva verbi forma XXVI, 4, 4: ut erant in inquirendis rebus graviores quam in componendis; XXVIIII, 1, 38: Quis omnibus perspicaciter inquisitis.

inspirare XXII, 15, 13: solusque (Nilus) fluminum auras nullas inspiravit.

intueri XXI, 6, 2: intueri lucem; XXIII, 5, 13: contacta loca nec intueri nec calcari debere fulgurales pronuntiant libri; XXVI, 9, 11: humumque intuendo semper incedens (Procopius); XXVIIII, 5, 46: quem (Igmazenem) Theodosius fundata mente intuens torvum, quo loco simul accusativus adiectivi neutri generis vice adverbii fungens appositus est, qui etiam legitur XXX, 9, 6: obliquum intuentis (Valentiniani) et torvum.

introspicere XXVI, 10, 2: occultas voluntates principis introspiciens ad crudelitatem propensioris.

oppugnare 1) vi propria cum accusativo a) rei XVII, 1, 11: munimentum — dudum violentius oppugnatum; XX, 6, 1: oppugnandam adoritur Singaram; XXIII, 4, 10: Rhodo aliisque urbibus oppugnatis; XXIIII, 4, 9: dum copiae pedestres muros oppugnant; 4, 10: imperator — oppidum — maximis viribus oppugnabat; 8, 6: quod imperator Ctesiphonta magnis viribus oppugnaret; XXV, 8, 13: eam (urbem) saepius oppugnare conatus (Sapor). b) personae XXI, 13, 13: dum — nationes exteras oppugnatis; 2) translata vi XXVIIII, 1, 17: quorum (Commodi et Severi) summa vi salus crebro oppugnabatur.

obstupescere XXV, 3, 13: obstupescat magniloquentia vetustatis diversis in locis proelia viginti Marcelli.

perflare verbum exhibetur transitive 1) vi propria XXII, 8, 2: quando perflatur (Aegaeum mare). 2) translata XXVIIII, 1, 19: omnia turbine intempestivo perflabant.

perhorrere XXVIIII, 2, 4: setis nexos equinis et occipitiis incumbentes gladios perhorrebant.

prospectare verbum transitive de situ adhibetur XVII, 12, 6: in ea parte Sarmatiae, quae secundam prospectat Pannoniam; XXIII, 6, 70: Paropanisadae — Indos ab oriente Caucasumque ab occidentali latere prospectantes.

resonare XVII, 11, 1: his congruentia plurima aeque ut tintinnabula principi resonantes.

sufflare XVII, 4, 12: sufflantes adulatores — Constantium; XXVIII, 4, 12: ut enim illi sufflant milites gloriosos Passivum legitur XV, 5, 37: Constantius — magniloquentia sufflabatur adulatorum; XVIII, 6, 1: Sabinianus — sufflatus: XXII, 14, 2: ira sufflabatur (Julianus) interna; 16, 12; altis sufflata fastigiis templa; XXVI, 1, 3: quidam spe vana sufflata.

Cap. III.

Hoc capite de iis verbis disserere volui, quibus praeter accusativum Ammianus etiam dativum adiunxit.[1]) Eiusmodi verba in opere Ammianeo inveni haec novem: convenire, ingemiscere, insidere, insilire, insistere, obequitare, obtrectare, praeire, succedere. Quorum Ammianeae orationis peculiaris est verbi „obequitare" transitiva structura, quae antea in litteris latinis non occurrit; reliquorum verborum dativi vel accusativi usus Ammiano cum hoc illove scriptorum, quorum sermonis in dissertatione imprimis rationem habui, communis est excepto verbo „insilire" a Sallustio transitive exhibito Differentiae vero structurarum, si quae inter Ammianum et scriptores adhibitos deprehenduntur, sub singulis verbis adnotantur.

Iam siquis quaerat, num structurae dativi vel accusativi his verbis datae in certis causis positae vel ad firmas leges revocandae sint, discrimen quoddam saepius cerni non infitiandum

---

[1]) Raro tantum praeterea praepositio quaedam vel nudus ablativus leguntur.

est. Ultra adhibeatur structura, apertum discrimen cognoscitur in verbis „convenire“ et „succedere“, quibus prout habent significationes singularem attribuit constructionem. Quod vero ad cetera verba attinet, ad certam quandam rationem eruendam, qua ductus scriptor alii aliam structuram adiecerit, difficillimum est. Quamobrem fieri non potest, quin prorsus stem ab Hahnio et Oesterbergio [1]) causam, ex qua verbum aliquod compositum assumat dativum vel accusativum, eo referentibus, quod non ubique in ipsis verbis, sed saepissime in dicentis vel scribentis consuetudine positum fuerit, utrum casum adicerent compositis. Sed transeo ad exempla laudanda.

convenire verbum a Tacito nonnisi absolute sequente acc. c. inf. positum apud Ammianum conectitur 1) semel cum accusativo ut persaepe apud Livium, rarius apud Ciceronem, idem significans atque „adire, iubere“ XX, 4, 3: super auxiliariis quidem et trecentenis cogendis ocius proficisci Lupicinus conventus est solus. Pluries 2) cum dativo a) proprie = aptari XXV, 1, 12: ut iuncturae rigentes conpagibus artuum convenirent. b) translate idem valens quod „necesse est“ aut „decet“, ubi impersonaliter usurpatur XXI, 5, 1: nihilque tam convenire conatibus subitis quam celeritatem sagaci praevidens (Julianus) mente; XXIII, 2, 3: Antiochensibus avaris et contumeliosis huiusmodi iudicem convenire; XXXI, 12, 15: pulcrum hoc — facinus et viro convenire existimans forti; infinitivo adiecto XIIII, 6, 7: beate perfecta ratione victuro ante alia patriam esse convenit gloriosam; XXI, 6, 1: Replicare nunc convenit tempori et narrare summatim quae. Omnes libri et editiones usque ad Gardthausenum exhibent „tempore“, quod haud dubie vitio infectum est, cum, quo sit referendum, haud facile cognoscatur. Quare facili mutatione C. F. W. Mueller (Fleck. J. f. Phil. 107 p. 350 sq.) scribendum censet „tempori“, ita ut „convenit tempori“ idem sonet atque „tempestivum est“. Quae emendatio etsi tolerari posse non nego, tamen melius mihi videtur esse „tempora“, quod Madvigius (advers. crit. ad sciptores graecos et latinos

[1]) cfr. Hahn, de verb. c. praep. comp. apud veteres Romanorum poëtas scaenicos cum dat. structura, Hal. Sax. diss. 78 p. 5 et Oesterberg p. 58.

III p. 260) suspicatur, ita ut „tempora replicare“ idem sit quod „revolvere et ad superiora redire“. XXVIIII, 2, 12: quod recte institutis ne cum inimicorum quidem incommodis in delicta convenit ruere voluntaria. Cicero verbo praeter dativum praep. „ad“ vel „cum“ adiunxit. Saepius participium „conveniens“ vice adiectivi fungens occurit idque assumit et dativum XXVII, 5, 9: componendae paci conveniens locus; XXXI, 3, 8: populi pars maior — cogitavit Thraciae receptaculum gemina ratione sibi conveniens. Sic in codice Vaticano scriptum est neque intellego, cur editores ante Gardthausenum „convenientius“ in textum receperint; et praepositionem „ad“ XXVI, 1, 5: ut aptus ad id quod quaerebatur atque conveniens Valentinianus — electus est, ubi voces „ad id“ etiam ad „conveniens“ referendas esse existimo; XXVIII, 1, 44: ad haec fortiter exsequenda parum conveniens (Ursicinus). De huius participii constructione apud Livium et Ciceronem vide Kuehnast p. 131.

ingemiscere verbum sequitur 1) accusativus, qui apud bonos quoque scriptores occurrit XV, 5, 11: Malarichus — suamque et popularis Silvani vicem graviter ingemiscens; XXV, 3, 21: acriterque amici casum ingemuit (Julianus); XXX, 1, 22: ingemiscat — huius adrogantiam facti Fabricius ille Luscinus. Passiva verbi forma legitur XXVI, 6, 19: Mirantur quidam — inrisione digna principia — ad ingemiscendas erupisse rei publicae clades; XXX, 5, 7: haec — ingemiscenda conpendia; 7, 10: clades ingemiscendas Illyrici. 2) dativus XXVI, 7, 16: ingemiscere nos vestris nostrisque vulneribus.

insīdere verbo in usurpando Ammianus cum Livio et Tacito plane congruit, posuit enim non solum dativum, verum etiam accusativum, cum Cicero et alii quoque scriptores verbum non exhibent nisi conexum cum praep. „in“ c. abl. vel rarius cum dativo. Monitum vero velim, cum praeteriti et participii passivi formae verborum „insīdere“ et „insĭdēre“ sint eaedem, non semel diiudicari posse, utri verbo vindicandae sint. Legitur 1) dativus[1]) XV, 7, 4: insidens (Leontius) —

[1]) Hassensteinium p. 6 formas non apertas pro ablativis esse accipiendas falso censuisse dilucide apparet ex loco XXIII, 6, 16.

vehiculo: XVI, 10, 6: insidebat (Constantius) aureo solus ipse carpento; XVII, 7, 2: humo involutus crassae caliginis squalor insedit; 12, 3: insidendo velocibus equis et morigeris; XVIII, 7, 5: volucres palpebrarum libramentis — insidentes; XVIIII, 1, 3: insidens (rex) — equo; XXI, 16, 21: eique (Joviano) vehiculo insidenti; XXII, 1, 2: lapso milite qui se (Julianum) insessurum equo dextra manu erexit; 8, 25: verticibus montium insedere (Achaei) semper nivalium; XXIII, 6, 16: cui (naphtha) etiam si avicula insederit brevis; XXV, 1, 15: quibus (elephantis) insidentes magistri; XXVI, 3, 5: equo phalerato insidens (senator); 8, 9: novissimi suffraginibus insidentes; 10, 19: ingentes — naves — culminibus insedere tectorum; XXVII, 3, 14: vehiculis insidentes; XXVIII, 4, 18: si inter aurata flabella laciniis sericis insederint muscae; 6, 4: suburbano eius (Leptis) uberrimo insedere per triduum. Codex Vaticanus et editiones Gelenii ot Accursii in scriptura „insidere“ conspirant, quam retinendam esse cum Eyssenhardtio facio; nam eandem verbi formam apud Ammianum etiam legimus XXXI, 7, 3. XXVIIII, 2, 21: coetus furiarum horrificus — cervicibus Asiae totius insedit; 5, 15: equo insidens (Firmius) apto ad ancipites casus; 5, 48: Firmius, equo celsiori insidens; XXX, 1, 9: quibus singulis (lectulis) proceres insidentes et regulus ipse; 5, 16: bubo culminibus regii lavacri insidens; XXXI, 2, 6: muliebriter isdem (equis) non numquam insidentes (Huni); 7, 3: faucibus insidere praeruptis. 2) accusativus XXXI, 10, 16: montes his, quos ante insederant, altiores. Participium passivi XVI, 2, 1: comperit (Julianus) Augustuduni — muros — barbarorum impetu repentino insessos.

insilire verbo in usurpando A. ab usu bonorum scriptorum plerumque praep. „in“ ponentium,[1]) quam structuram adoptavit etiam Livius, ita recedit, ut posteriorum auctorum rationem secutus accusativum et dativum verbo adiungat. 1) dativus XXX, 5, 19: dexteram —, quae eum insilientem

---

[1]) Sallustius etiam accusativo usus est.

iumento pulserat inconsulto. Librorum manu scriptorum lectio haec est „iumento pulserat consueto“, quae est vitiis depravata. Pro „pulserat“ plusquamperfecti forma ne Ammiano quidem tribuenda C. F. W. Muellerus (Fleck. J. f. Phil. 107 p. 364) procul dubio recte textui reddidit „pulsarat“. Qaod autem idem pro „consueto“ ordini verborum inseri vult „conflictu“, non tam locum sanavit, quam vitium detexit, cum Ammianum addere voluisse, unde innocentia stratoris, qui casu non consilio imperatorem equo insilientem iuvaturus pulsaverat, declararetur Kiesslingius (con. Ammian. ind. schol. aest. Gryphisw. 1874 p. 3) summa probabilitate statuat. Quare cum eo „inconsulto“ coniciente prorsus facio. 2) accusativus XXXI, 3, 8: imperator — insiliens funerum moles.

insistere verbo in construendo A., ubi translate positum est, semper dativum admisit; ubi vero propriam habet vim, etiam singulis locis nudo ablativo et accusativo usus est. Qua ab ratione Cicero ita discessit, ut verbo sensu locali dicto praep. „in“ c. abl., translata vero vi praeter dativum etiam accusativum addiderit (cfr. Kuehner, II, § 70, 4, A). Apud Tacitum ubique verbo dativus adscriptus est, qui etiam a Livio adhiberi solet (cfr. Kuehnast p. 138). Invenitur 1) proprie positum a) cum ablativo XXI, 5, 1: saxeo suggestu insistens (Julianus). b) cum dativo, qui quamquam casus forma haud aperta est, exemplis Taciteis a Lehmanno p. 41 collectis commendatur contra Hassensteinium p. 6 ablativum intellegentem XIIII, 2, 18: bellatores — propugnaculis insistebant et pinnis; XVI, 12, 56: marginibus insistentes; XX, 11, 17: Persae propugnaculis insistentes; XXI, 12, 9: quibus (turribus) insistentes armati; XXIIII, 3, 3: constructo tribunali insistens (Julianus); 5, 7: qui propugnaculis insistebant; XXXI, 10, 12: abruptisque per ambitum rupibus insistentes. = adesse XXIIII, 1, 13: agminibus cogendis insistens (imperator). c) cum accusativo XVII, 13, 25: tribunal insistens (Constantius). 2) translate cum dativo = incumbere, operam dare XXIIII, 4, 9: ut equestres turmae divisae per globos abigendis insisterent

praedis; XXVI, 8, 2: oppugnationi Chalcedonis magnis viribus insistebat. = urgere vel ut nos dicimus „Jemandem im Nacken sitzen“ XXIIII. 2, 8: fugientiumque cervicibus insistentes (auxiliares).

obequitare 1) cum dativo apud Livium saepius occurrente XVIIII, 1, 5: portis obequitabat: XXIIII, 1, 1: celso praeter alios spiritu obequitans (Julianus) ordinibus. 2) cum accusativo ante Ammianum non obvio XX, 11, 6: obequitans (Constantius) castorum ambitum; XXIIII, 2, 9: cuius (Pirisaborae obequitans moenia imperator et situm; 5, 6: obequitans (imperator) muros.

obtrectare verbum sequitur 1) dativus XXVIIII, 2, 23: obtrectabat (Festinus) subinde actibus eius (Maximini) ut perniciosis et foedis. 2) accusativus personae etiam a Tacito admissus, cum Livius verbo accusativum quoque rei inde ab huius aetate percrebescentem apposuerit. XXVI, 10, 8: cuius (Juliani) memorandis virtutibus ambo fratres principes obtrectabat (Phronenius) nec similes eius nec suppares. Accusativi structuram hoc loco verbo „obtrectare“ esse dandam, ostendit Hauptius (ind. lect. berolin. 1874 p. 13) corrigens „obtrectabant“, quod in codicibus est, idoneo vero sensu caret, in „obtrectabat“.

praeire verbo a Livio et Tacito nonnisi cum accusativo constructo A. triplicem admisit rationem. 1) dativus XVIIII, 1, 3; ipse (rex) praeibus agminibus cunctis; XXIII, 6, 34: cuius (ignis) portionem exiguam ut faustam praeisse quondam Asiaticis regibus dicunt. 2) accusativus XXVIIII, 2, 15: infaustam bustuarii libitinam — praeire. 3) praep. „ante“ XVII, 10, 12; ante alios — praeire duo iuvenes.

succedere verbi structuram A. prorsus fere ad Ciceronis et Livii rationem loquendi applicavit, cum praeter dativum etiam accusativum et praep. „in“ et „ad“ admiserit; iterata praepositio, quae apud Ciceronem quoque exstat, elocutioni Ammianeae deest. Tacitus vero nonnisi accusativum posuit. 1) Usitata dativi structura occurrit, ubi idem valet quod „in locum alicuius succedere“ vel „aliquid excipere“ XVI, 12, 50: succedebant barbari superstites interfectis; XVIII,

5, 5: Ursicinus — successurus Barbationi: XX, 2, 1: successisse enim eum (Ursicinum) Barbationi praediximus; XXV, 8, 11: Malarichum — Jovino iussit succedere armorum magistro per Gallias; XXVII, 3, 3: Symmachus Aproniano successit; 7, 2: cui (Mamertino) — Vulcatius successit Rufinus; XXVIII, 1, 45: huic (Ursicino) successit Hemonensis Simplicius; XXVIIII, 1, 32: quaerentibus nobis, qui praesenti succedit imperio, — exclamavit praesentium quidam; 5, 27: Romano successerat. Ante haec verba in codicibus nonnulla desunt, pro quibus textus nondum inventus est. Eodem sensu ut apud Livium semel praep. „in“ deprehenditur XXVIII, 3, 9: in locum Valentis Jovini successit. — XVI, 4, 4: Caesar providebat — ut militum diuturno laboris quies succederet; XXIIII, 6, 3: utque lassitudini succederet quies opportuna. 2) accusativus huic verbo additus significat aliquem in locum, quem appetebat, advenisse vel eum intrasse XXIIII, 2, 17: Aemilianus — testudine lapidea tectus successerat portam. In codicibus exstat „tectam“, pro quo scribendum recte proposuit Wagnerus „tectus“ a Gardthauseno in textu positum, cum verba sequentia „sub qua tectus et latens“ ad vocem „testudine“ esse revocanda appareat. Neque alia ratio cognoscitur, ubi praep. „ad“ apponitur XXVIII, 4, 10: interrogatum — ad quam successerit domum.

Cap. IV.

Venio hoc capite ad ea verba, quae verbis separationem vel disiunctionem significantia opposita sunt, cum coniunctionem vel consociationem inter duas res vel personas intercedentem exprimant. Talium verborum apud scriptorem nostrum ut omnino in lingua latina vis exstat permagna; etsi enim primitus, cum praepositiones, quibuscum composita sunt, primo adverbia loci fuisse constet (cfr. Kuehner, § 89, 2. Haase II p. 102), vi locali praedita et de loco dicta usurpata sunt, tamen paullatim sensu locali deposito ad plane alias rationes translata maxime varias acceperunt significationes, ita ut et de personis et de rebus adhibita exprimant, cui seu proprie seu tralate

aliquid aut tribuatur, aut iam ante fuerit, aut contingat vel appropinquet, aut cohaereat, aut denique usui vel detrimento fiat (cfr. Teetz p. 41).

Structurae vero, quae his verbis adduntur, sunt variae; apponuntur enim aut dativus aut praepositio quaedam aut accusativus. Structura dativi, cuius natura et indoles ita comparata est, ut summatim indicet, quo verbi actio pertineat, itaque rationem vel coniunctionem inter duas personas vel res intercedentem significet (cf. Ignatius p. 7), frequentissime occurrit. In universum enim in lingua latina observari potest scriptoribus posterioris aetatis poëtarum vestigiis insistentibus dativi usum admodum fuisse in deliciis. Neque id mirum; namque cum duae compositorum partes persaepe iam non ita in mentibus illorum essent secretae et divisae, ut utrumque verbum sentiretur, sed quasi in unam concrevissent notionem, fieri non potuit, quin verbis quodammodo novis subiceretur constructio nova. Contra optimae aetatis scriptores usum priorum auctorum, quorum in animis utrumque verbum etiam magis separatum insidebat, amplexi saepissime praepositionibus usi sunt. Iam si in hac re usum Ammiani et scriptorum, quos adhibui, intuemur, facile cognoscitur verum esse quod modo disserui, dativi fines magnopere esse propagatos, ita quidem, ut Ammianus cum Livio et Tacito in hoc casu admittendo multifariam consentiant, id quod non item convenit in usum Ciceronis saepissime praepositioni cuidam faventis, ubi illi dativum posuerunt.

Rarius, ut dixi, Ammianus verbis praepositionem vel eandem vel aliam similis significationis adiecit inter structuram dativi et praepositionem appositam saepius nulla intercedente differentia, id quod docent loci velut „districtum mucronem in proprium latus inpegit" et „lateri cultrum — inpegit". Ubi autem scriptor id agit, ut loci vis prematur et accuratius significetur, aut distinctius exprimatur, quae ratio inter verbum sit et substantivum, quo finis actionis spectet, praepositio habet locum velut „ubi ad moenia confidenter accessit," „nobiles viros, quibus ad sui societatem adnexis".

De tertia structura supra disputata est cap. II et III. Sed iam locos ipsos afferam.

accedere verbum 1) locali vi positum sequitur a) praepositio α) „ad“ XX, 7, 5: ubi ad ipsa moenia confidenter accessit; adverbio „usque“ addito XX, 7, 7: Christianae legis antistes — usque ad tentoria regis accessit; XXXI, 13, 2: quia sinistrum cornu ad usque plaustra ipsa accessit; actionis finis praep. „ad“ cum gerundivo exprimitur XXIIII, 5, 6: ad quod (castellum) explorandum ausus (imperator) accedere obscurior. β) „prope“ XXVIII, 6, 4: veritique (Austoriani) prope Leptim accedere, ubi verbo notio aggrediendi admixta est; XXX, 3, 5: Augustus — prope ripas accessit. b) semel dativus XXVI, 10, 11: regiae propere accedens. Etiam Cicero verbo primaria significatione praedito praepositiones easque „ad“ et „in“ iunxit, cum Tacitus ubique accusativum usurparit. 2) Notione translata a) = „alicui adiungi, sententiam alicuius sequi“ ubique dativus exstat XIIII, 11, 3: isdemque residui regii accessere spadones; XXIIII, 2, 1: responderunt — se quoque utpote regnorum sequelas victoribus accessuros; XXVI, 5, 12: iisque (proximis) legationes urbium accessere nobilium; XXVIIII, 1, 37: his accessit philosophus Simonides; 3, 1: qui (Maximinus) potestate late diffusa scaevum imperatori accesserat incentivum; 5, 47: hisque Jesalenses auxiliares accessere quam plures. Pro „quam plures“ verbis sane satis mire dictis Kellerbauerus (Blaett. f. bayer. Gymn. 1873 p. 138) scribendum proponit „complures“, cui non assentior. Primum enim sententia non poscit comparativum, sed superlativum, deinde Ammianus scriptor posteriorum latinitatis temporum et homo natione Graecus, apud cuius dictionem semper multum valuit sermo plebis et castrensis (cfr. Kallenberg p. 5), non ex normis et legibus optimorum scriptorum iudicandus est, denique, id quod est maximi momenti, omnes codices in tradito „quam plures“ unanime consentiunt. Quare nihil mutandum censeo. Satis habeo ad hunc locum tuendum aliam rationem dicendi Ammiani unius propriam afferre XXVIII, 4, 5: ita effrenatius exarserunt; XXX, 8, 3: ita erat effusior ad nocendum; vel

XXV, 4, 9: insidiatores ita consurrexisse mitissime. — Idem est usus Taciteus; contra Cicero praepositione „ad" utitur. b) — addi, ita ut verbum habeat notionem augendi, quo sensu Cicero praepositionem adscribere solet, Ammianus ut Tacitus dativum, atque etiam, rarius quidem, praep. „ad" ponit α) „ad" XVI, 12, 5: ad cuius roborandam fiduciam recens quoque fuga ducis accessit numero praestantis et viribus; XXII, 8, 49: Accesserat aliud ad gaudiorum praesentium cumulum diu quidem speratum; XXIIII, 8, 3: eo etiam ad difficultatem accedente negotii; XXVII, 2, 10: illo — ad gaudii cumulum accedente quod; 7, 8: ad hanc inclementiam illud quoque accedebat dictu dirum et factu quod; XXVIIII, 2, 17: Accesserat hoc quoque eodem tempore ad Valentis ceteras laudes; 6, 16: eo maxime dolore perculsi quod ad tutelam Illyrici Gallicani militis validum accesserat robur. β) dativum XIIII, 1, 2: cuius acerbitati uxor grave accesserat incentivum, 5, 4: Accedebat enim eius asperitati —, et iracundae suspicionum quantitati proximorum cruentae blanditiae exaggerantium incidentia; XVI, 12, 14: accessit huic alacritati plenus celsarum potestatum adsensus; XVII, 13, 21: variaeque palmae victoriarum accessit eorum quoque supplicatio, qui —; XVIIII, 4, 1: pestilentia tot malis accessit; XX, 3, 1: hisque terroribus accedebat, quod; 8, 8: cuius iracundiae nec dignitatum augmenta nec annuum merentis stipendium id quoque inopinum accessit; XXII, 4, 6: Quibus tam maculosis accessere flagitia disciplinae castrensis; 11, 5: his efferatis hominum mentibus Georgius quoque ipse grave accesserat incentivum; 16, 12: His accedunt — templa; XXIIII, 4, 5: accedat hoc quoque monumentis veteribus facinus pulchrum; 4, 11: accedebat his haut levius malum; 7, 8: hisque accedebat aliud haut exigium malum, quod; XXV, 4, 1: eisque (virtutes quattuor praecipuae) accedentes extrinsecus aliae. „Accedentes" lenissima medela Wagnerus recte scripsit pro „accidentes", quod codices exhibent et Eyssenhardtius tuetur; namque „accedere" saepissime, „accidere" numquam apud Ammianum hac mente invenitur. 7, 12: quibus exitiale aliud

accessit et impium: XXVI, 6, 6: cuius morum intolerantiae haec quoque pernicies accedebat, quod; 8, 1: Huic perduellium prosperitati laetior accessit; 10, 9: His accedebant alia graviora; XXVIII, 1, 34: accessit his alia potior insidiarum materia; XXVIIII, 6, 3; geminos — flatus, quibus praefecturae accesserat tumor; XXXI, 4, 4: ut — thesauris accederet auri cumulus magnus; 6, 6: quibus accessere sequendarum auri venarum periti non pauci; 12, 13: cui malo aliud quoque accedebat exitiale. — Easdem structuras quas Ammianus, dativum et iteratam praepositionem, etiam Livius verbo tribuit (cfr. Kuehnast, p. 135 et 146).

arcessere verbo (de praepositionis forma vide Kuehner, I, § 210, 11) A. in eadem dicendi formula praep. „in" iunxit XV, 2, 1: in crimen laesae maiestatis arcessebatur Ursicinus; XXVIII, 1, 27: Tarracius Bassus et — Cameius et Marcianus — et Eusaphius — arcessiti in crimen; 1, 36: Eutropius — arcessitus in crimen. Adverbium loci exstat XXXI, 16, 5: Saracenorum cuneus — recens illuc accersitus.

accidere verbo, ubi habet notionem „obtingendi", A. sicut omnes scriptores dativum adscripsit XXI, 1, 7: advertendum est breviter, unde sapienti viro hoc quoque accidere poterit doctrinae genus haud leve.

accingere verbi praepositio bis repetita legitur XX, 7, 16: verebatur —, ne — Romani ad eadem obsidenda viribus magnis accingerentur; XXX, 2, 7: Sapor — ad expeditionem accingi rectorem compererat nostrum. Livius praeterea praep. „in" exhibuit (cfr. Kuehnast, p. 135).

accipere verbum cum praep. a) „ad" XXIIII, 2, 21: ad sententiam suam cunctis acceptis; XXX, 1, 4: cum neque ad imperatoris castra accipi — posset. b) „in" XVI, 12, 12: recto consilio in bonam partem accepto; XXII, 7, 10: per quas (regiones) in mare Phasis accipitur; XXVIIII, 5, 35: hisque — in deditionem acceptis.

accire verbum cum praepositionibus a) „ad" XVII, 10, 9: ad colloquium — accitus a Caesare; XXVI, 8, 15: Pescennius Niger ad subveniendum spei rerum extremae a Romano populo saepe accitus; XXVII, 11, 1: adregendam prae-

fecturam praetorianam ab urbe Probus accitus; XXVIII, 1, 41: ad principis comitatum Maximinus accitus; 3, 9: ad comitatum accitus. b) „prope“ XXX, 3, 4: prope Mogontiacum blandius rex ante dictus accitur.

accommodare verbo proprie dicto apponitur dativus XXXI, 2, 22: interfectorum — capitibus detractas pelles pro phaleris iumentis accommodabant bellatoriis. Translato sensu, ubi adiectivum est, cum praep. „ad“ iunctum legitur XXXI, 2, 6: ad pedestres parum adcommodati sunt pugnas. Isdem structuris Livius usus est (cfr. Lehmann, progr. p. IX), cum apud Ciceronem praeterea bis praep. „in“ inveniatur.

adcorporare verbum posteriorum scriptorum proprium translate usurpatur XVI, 8, 11: ut damnatorum petita bona suis adcorporarent.

addere verbum, cui Cicero plerumque praep. „ad“ et „in“, rarius dativum, Tacitus dativum, perraro praep. „ad“ et „in“ sine ullo discrimine adscripserunt, apud Ammianum excepto uno loco, ubi praep. „ad“ exstat, cum dativo apud posterioris aetatis scriptores praevalente (cfr. Draeger, I p. 389) coniunctum legitur. 1) Saepissime ita usurpatum est, ut res significetur, quae accessione aliqua augetur. Sequitur a) „ad“ XXII, 11, 7: ad haec mala id quoque addiderat (Georgius). b) dativus XIIII, 1, 2: rumigerulos conpertis leviter addere quaedam male suetos; 6, 23: additumque est cautionibus paucis remedium aliud satis validum; 7, 10: addens (Domitianus) quaedam relationibus supervacua; XVI, 10, 2: nec — addidit (Constantius) quaedam imperio; 10, 17: urbis addere statuit (Constantius) ornamentis, ut in maximo circo erigeret obeliscum; XXI, 16, 9: addebatur miserorum aerumnis — acerbitas eius; XXII, 14, 2; addensque (Julianus) veritati conplura; XXIII, 6, 32; cuius scientiae (magiae) saeculis priscis multa ex Chaldaeorum arcanis Bactrianus addidit Zoroastres; XXV, 8, 10: quibus (codicillis) secretiores addiderat litteras; 10, 8: his ita tristibus laetum aliud addebatur: XXVI, 6, 20: Adramyttenus Andriscus — bellis Macedoniis tertium addidit grave; 9, 3: pro imperiali germine, cui se quoque iunctum addebat

(Procopius): XXVIII, 4, 25: additur huic, debitorem voluntarium includit ut proprium; XXVIIII, 1, 9, his addebat idem Fidustius; 2, 9: addens (Heliodorus) itineri ad mendacium ficte constructo, quod; 6, 11: huic spectato consilio salutare addidit aliud. 2) = adhibere, afferre, inicere XV, 15, 15: norat (Julianus) enim hoc facto se aliquid locupletibus additurum; 7, 4: si Numa Pompilius vel Socrates — dictis(que) religionum adderent fidem; 12, 15: addiderat autem fiduciam nostris consideratio gemina recordantibus; XXII, 16, 22: Romano quoque iuri maximum addidit (Solon) firmamentum; XXV, 8, 12: additisque festinando itineri noctibus; XXXI, 4, 4: pubescente iam fide gestorum, cui robur adventus gentilium addiderat legatorum; 7, 7: incentivum audendi maiora popularibus addiderunt.

addicere verbo omnibus locis dativum appositum inveni 1) = exponere, prodere a) rei XIIII, 5, 5: neminem aliquando ob haec vel similia poenae addictum. „Ob" vocabulum, quod in libris non legitur, exstat in bga et recte a novissimis editoribus in textu positum est; nam coniunctiones verborum „ob hoc, ob haec, ob quae" Ammiano admodum in deliciis fuisse ostendit Reinh. p. 52. XV, 3, 2: residuos capitalibus addixere suppliciis; 5, 28: ut — alter (Ursicinus) — odiis inimicorum addiceretur; 7, 5: supplicio est capitali addictus (Petrus Valvomeres). Scriptura codicis Vaticani „ei id" depravata est. Neque vero „ob id", quod in bga legitur, ullo modo ferri potest, cum ordinem verborum perturbet. Quam ob rem Gardthausenus in textum admisit „est", quod mihi probatur et praeferendum esse puto Eyssenhardtii coniecturae „periit" nimis a litteris traditis Vaticani remotae. XXII, 3, 12: Eusebium — addixere poenae letali; XXIII, 6, 83: haec turba tamquam addicta perenni servitio; XXIIII, 3, 2: decem milites — capitali addixit (Julianus) supplicio; XXVIII, 1, 23: hominem addictum — morti; XXVIIII, 2, 3: poenis addicti. b) personae XIIII, 7, 6: rectoremque ut sibi iudicio imperiali addictum calcibus incessens (vulgus). 2) = deditum esse XXI, 16, 16: uxoribus et spadonum gracilentis vocibus et palatinis

quibusdam nimium quantum addictus (Constantius): XXVII, 12, 1: Sapor — ab ipsis imperitandi exordiis dulcedini rapinarum addictus; XXVIII. 4, 34: In his plerique distentioribus saginis addicti; XXVIIII, 1, 5: Procopius — turbarum cupiditati semper addictus. 3) = referre in XXII, 9, 8: alii querentes consortiis se curiarum addictos iniuste. Idem casus verbo a Cicerone datus est, cum Livius etiam praep. „in“ utatur. (cfr. Lehmann, progr. p. XVII.)

adducere verbum semel praep. „ad“ secum habet XIIII. 5, 9: reversusque ad principis castra multos coopertos paene catenis adduxit. Bis adverbia loci XIIII, 3, 1: Eo adducta re per Isauriam; 11, 8: eo necessitatis adductus (Gallus). Cicero persaepe praep. „ad“ et „in“, semel dativum personae, et Livius non nisi praepositiones exhibuit, cum Tacitus verbum ita non usurpasse videatur.

adesse verbo, quod locali sensu positum classici qui dicuntur scriptores plerumque cum praep. „ad“ et „in“ c. abl., sensu translato cum dativo adhibuerunt, Ammianus ut Livius aliique scriptores posteriores dativum adiunxit. 1) = iuxta vel prope esse XIIII, 11, 26: ut adesse velocitate volucri cunctis existimetur (Adrastia); XV, 5, 16: quem (Laniogaisum) dum militaret candidatus solum adfuisse morituro Constanti supra rettulimus; XXI, 14, 2: quod (secretum aliquid) interdum adfuisse sibi squalidius aestimabat (Constantius); XXV, 3, 14: Phosphorio amisso consiliario, qui ei (Sallustio) aderat. 2) Idem fere valet atque simplex in formula „est mihi aliquid“ XV, 8, 13: verissimus testis adfuturus industriis et ignavis; XVI, 4, 1: quod ei (Juliano) nec Scutarios adesse — didicerant nec Gentiles; XXII, 5, 2: ubi — adesse sibi liberum tempus — advertit (Julianus); XXIIII, 1, 12: adfore sibi etiam deinde caelestem existimans (exercitus) curam. 3) = interesse, participem esse XIIII, 7, 5: ut expeditioni specie tenus adesset (Gallus); XVI, 12, 69: cum gestis non adfuisset; XVII, 6, 3: huic pugnae Nevitta, postea consul, — adfuisse — firmatur; XVIIII, 7, 8: rex — Persarum, qui numquam adesse certaminibus cogitur; XXII, 7, 6: Aderat his omnibus Praetex-

tatus; 9, 16: adesseque officio inter honoratos; XXVIIII, 1, 17: adfuturus spectaculis. 4) = favere, iuvare XIIII, 7, 13: adeste inquit (Montius) „viri fortes" mihi periclitanti vobiscum; XV, 8, 14: aderimus nobis vicissim amoris robusta constantia; XVI, 12, 33: hostium terga caesuris adero indiscretus; XVII, 12, 8: aderant — Sarmatis — Quadi; XX, 4, 2: ut adesse possint armis primo vere movendis in Parthos; XXI, 5, 5: si fortuna coeptis adfuerit; 13, 15: iustitiaque rectis consiliis adfutura; 14, 5; nec adfuisse (deos) pugnantibus; XXIII, 5, 19: adero ubique vobis; XXIIII, 4, 24: existimabatur Mars ipse — adfuisse castra Lucanorum invadenti Luscino; XXVIIII, 6, 11: cohortem — adfuturam obsidio; XXXI, 10, 11: si id temptanti (Gratiano) fors adfuisset.

afferre verbum ubique apud A. eo sensu usurpatum, ut significet, ut Draegeri (II p. 388) verbis utar, „uebertragenes Verhaeltnis der persoenlichen Betheiligung des Dativobjectes", coniungitur cum dativo, quo casu utitur verbum eadem notione indutum etiam apud Ciceronem, Livium, Tacitum, alios. a) dativus personae XVII, 12, 17: quibus (Sarmatibus) incredibile quantum prosperitatis haec attulit causa; XXI, 13, 7: re tamen magnam difficultatem ad capessendum consilium adferente; XXV, 6, 9: ni expeditiores turmae nostrorum opem laborantibus attulissent b) rei XX, 11, 20: ubi nocturnae tenebrae finem proeliis adtulerunt; XXI, 12, 25: ut securitatem trepidis rebus adferret (Julianus). Alias rationes significans verbum apud scriptores, quos dixi, praepositiones quoque assumit (cfr. Draeger, l. c., Lehmann, diss. p. 24).

affigere verbum, cui Cicero plerumque dativum, perraro praep. „ad" addit, apud A. ut in scriptis Taciteis cum dativo iunctum legitur. 1) Proprie XXV, 1, 12: per cavernas minutas et orbibus oculorum adfixas; XXVIIII, 5, 54: funiculum — de clavo parieti adfixo suspendit; XXXI, 2, 6: equis prope adfixi (Huni); 14, 9: saxeus monumenti suggestus, cui lapis adfixus; 15, 4: militum calonumque numerus magnus — adfixus parietibus moenium aedibusque continuis.

Semel locativus, qui vocatur, invenitur XXVIIII, 5, 15: humi paene adfixus (Firmus). 2) translate XIIII, 1, 2: adfectati regni vel artium nefandarum calumnias insontibus adfigebant; XXVIII. 1, 10: Maximius effudit geminam ferociam pectori crudo adfixam.

affingere verbum cum dativo personae construitur, quae structura etiam Ciceroni et Tacito usitata est, XVIIII, 12, 2: innocentibus exitialis causas adfingens dum in calmitosis stipendiis versaretur. Pro libri Vaticani corrupta lectione „adfringen . . . . . dum" editio Gelenii suppeditat „adfingens dum", quod Gardthausenus recepit. Et profecto haec scriptura mihi magis placet quam „adstringens dum", quod Wagnerus, Eyssenhardtius, alii vestigia librorum Pba „adstringendum" praebentium secuti in textu posuerunt. Nam praeterquam quod prope accedit ad codicis V scripturam optimamque efficit sententiam, vel ideo mihi videtur praeferenda esse, quod verbum „astringere" apud Ammianum non legitur nisi iunctum cum accusativo personae et ablativo rei, altera vero constructio „alicui aliquid" hoc loco etiam paulo durius dicta videtur. Simili modo legitur Tacit. An. 14, 62: ergo confessionem alicuius quaeri placet, cui rerum quoque novarum crimen adfingeretur.

affulgere verbi cum dativo structura inde a Livio in prosam orationem inducta (cfr. Draeger, I p. 380) etiam ab A. exhibetur. Exstat dativus a) personae XVI, 5, 14: tamquam solem sibi serenum post squalentes tenebras adfulsisse; XXIIII, 2, 21: salutarem genium adfulsisse sibi clamitans (gens) Caesarem magnum et lenem. b) rei XV, 8, 21: salutarem quendam genium adfulsisse conclamatis negotiis arbitrata (plebs); XXVII, 10, 3: inopina rei Romanae spes laetiorum adfulsit.

affundere verbum translate positum dativus ut apud Tacitum sequitur XVII, 13, 28: adfusi sunt vestigiis Augusti clementis.

aggerere: XXIIII, 4, 30: collectam stipulam et sarmenta specuum faucibus adgesserunt.

adhaerere verbum inde a Livio cum dativo iunctum (cfr. Kuehnast p. 135) ut in Taciti scriptis sic semper apud A.

dativum assumit; Cicero verbo praep. „in“ c. abl. admisit (cfr. Augustin p. 5). Positum est 1) proprie XV, 2, 9: isdemque (potioribus) tamquam ederae celsis arboribus adhaerentes; XVI, 12, 57: nandi strenuis quosdam nescios adhaerentes; XVIII, 2, 8: eius (Suomarii) enim pagi Rheni ripis ulterioribus adhaerebant; XVIIII, 12, 12: adhaerens (Demetrius) eculeo; XXII, 13, 3: volitantes scintillae adhaesere materiis vetustissimis; XXIIII, 4, 15: Persae muris obstinatius adhaerentes; 6, 7; scutis — adhaerentes (milites); XXVII, 6, 9: signis militaribus et aquilis adhaesurus (Gratianus). 2) translate XVIIII, 3, 1: obsidioni fortiter adhaerentes; XXI, 2, 4: adhaerere cultui Christiano fingebat (Julianus).

adhibere verbum, cui praeter dativum Cicero rarius „ad“, perraro „in“, Livius „ad“, Tacitus semel tantum „in“ apposuit, apud A. sequitur 1) plerumque praep. „in“ XV, 8, 8: Julianum — in Caesaris adhibere potestatem exopto; XXV, 10, 11: adhibito in societatem trabeae Varroniano filio suo admodum parvulo; XXVII, 10, 10: nullo potentium in conscientiam arcani adhibito; 12, 3: adhibitumque (Arsacem) in convivium; XXXI, 9, 3: ducentemque (Farnobium) Taifalos nuper in societatem adhibitos; 12, 5: adhibitis in consilium potestatibus variis. 2) semel dativus XXII, 8, 32: adhibentes (homines) vomeri curam. 3) semel „ad“ XVI, 8, 2: siquis anile incantamentum ad leniendum adhibuisset dolorem.

adicere verbum a Cicerone et Livio cum praep. „ad“ et dativo iunctum A. pariter atque Tacitus nisi cum dativo constructum non exhibet XXII, 9, 1: antegressis victoriarum titulis haec quoque adiciens (Fortuna), quod; 16, 1: quibus (provinciis) duas adiecit posteritas; XXVI, 6, 7: cuius (Procopii) diritati adiectum erat incentivum exitiale socer Petronius.

adigere verbum a Tacito cum dativo adhibitum exceptis formulis „iure iurando adigere“ et „in iusiurandum adigere“ (cfr. Lehmann, diss. p. 26) asciscit praepositionem „ad“ a) proprie adverbio „prope“ accedente XXVIIII, 1, 15: ferrumque ad iugulum eius (Valentis) prope adactum a

militaribus; b) translate XXI, 13, 9: ut eam (multitudinem) ad firmanda promptius adigeret imperanda; XXVIIII, 1, 28: adacti ad summas angustias. Locos, ubi infinitivus exstat, collegit Kallenberg p. 29.

adiudicare cum dativo personae XVII, 14, 2: harum regionum dominio sibi adiudicato.

adiungere verbo A. pariter atque Cicero apposuit 1) dativum a) personae XXIII, 1, 1: videbatur novum adiunctum esse Augusto privatum; XXV, 5, 8: multitudine ex regio equitatu adiuncta his, qui dimicavere nobiscum; XXVI, 2, 9: alienum ad amicitiam — adiungere sibi; 5, 14: hisque (Neoterio et Masancioni) — scutarium adiunxit Gaudentium; 6, 1: adiunctus (Procopius) consortio comitum. b) rei XXVI, 7, 11: adiungit his aliud veloci diligentia maturandum; XXVIII, 1, 48: Adiunctum est his aliud haut mitius malum. 2) praep. „ad" XXVIIII, 2, 12: quod — nihil(que) sit tam iniquum quam ad ardua imperii supercilia etiam acerbitatem naturae adiungi. In libro Vaticano post vocem „tam" lacuna exstat, quam Gelenius vocabulum „iniquum", Accursius „dirum" niscrens explevit, cum Valesius loco Ciceroniano ad Q. fr. I 1, 13, 37 adductus in ordinem verborum intulerit „deforme" Wagnero et Eyssenhardtio probatum. Sed cum Ammianus locum Ciceronis non ad verbum exscripserit, sed sententiam in universum tantum reddiderit, in textum receptam volo Gelenii lectionem, quem veras scripturas saepius exhibuisse constat. — Quo ab usu loquendi Livius et Tacitus ita discedunt, ut ille praepositione „in", hic nonnisi dativo utatur.

allicere verbum asciscit praepositiones 1) „ad" ut ubique apud Ciceronem XXI, 12, 4: ad deditionem allicere defensores; XXVIII, 4, 22: ad voluntates condendas allicientes eos praestigiis miris; XXVIIII, 5, 33: nunc timore, nunc nummis eos ad societatem alliciens; XXXI, 12, 9: ad condiciones rei Romanae profuturas allicere (populares). 2) praep. „in" XXI, 1, 1: ambigens (Julianus) utrum Constantinus modis omnibus alliceret in concordiam.

alludere verbi a classicis scriptoribus non nisi absolute dicti praepositio apud A. ut apud Terentium et Justinum iteratur

(cfr. Draeger, I, p. 381) XXII, 14, 3: ad crebitatem hostiarum alludentibus multis. Alias scriptores posteriores dativo uti solent.

admiscere verbum dativus sequitur XIIII, 11, 11: adulabili sermone seriis admixto. Idem est usus Ciceronis et Taciti, nisi quod ille semel praep. „ad" adhibuit. Occasione oblatar adnecto

permiscere verbum, quod praeter solitam ablativi structuram pluries apud A. dativum etiam a Livio et Tacito saepius positum (cfr. Lehmann. diss. p. 31 sq.) asciscit. Intellegendum esse censeo 1) dativum a) personae XXI, 5, 3: vobis inter ipsa iuventae rudimenta permixtus; XXXI, 10, 17: oblata — iuventute valida nostris tirociniis permiscenda; 16, 3: Gothi Hunis Halanisque permixti. b) rei XXIII, 6, 4: astris — permixtus est omnium primus (Nicator). Invenitur 2) ablativus XXII, 8, 48: mare — permixtum aquis amnicis; XXV, 9, 5: moenia permixta sunt lamentis et luctu; XXX, 15, 8: vastisque cladibus quicquid inveniri poterat permiscentes (turmae praedatoriae); 8, 6: rapinis et caedibus sanguineque et incendiis et liberorum corporum corruptelis omnia foedissime permiscentes.

admittere verbum ut apud Ciceronem aliosque scriptores sequuntur praepositiones 1) „ad" XX, 9, 8: solusque admissus est ad praefecturam Nebridius; XXI, 6, 2; ad parile obsequium admittendus (Amphilochius); XXVI, 7, 6: aliique plures ad aulae varios actus et administrandas provincias sunt admissi; XXX, 4, 15: ad defendendam causam admissi. 2) „in" XIIII, 7, 11: admissusque in consistorium, quod iteratur XVI, 7, 2: XVII, 12, 14: Usafer in preces admissus est; XVIII, 3, 2: in imperium — admissus. 3) „inter" XVIII, 2, 17: Macrianus — inter aquilas admissus et signa. Uno loco adverbium loci invenitur actionis fine praep. „ad" cum gerundio expresso XVII, 12, 10: eoque ad precandum admissa multitudo. Dativus apud Livium (cfr. Kuehnast, p. 134), non item apud Tacitum deprehenditur.

admovere verbo ubique de motu locali adhibito A. aeque atque Tacitus dativum adscripsit a) personae XXX, 7, 11:

Burgundios, quos ipse admoverat Alamannis. b) rei XV, 6, 1: Proculus admovetur eculeo; XXI, 5, 10: gladiis cervicibus suis admotis sub exsecrationibus diris: XXII, 5, 2: arisque hostias admovere; XXIII, 4, 13: hanc ita validam molem — miles languidiori murorum parti viribus admovet concitis: XXIIII, 6, 17: aris admoti (tauri); XXVIIII, 1, 27: admotus quisquam fabricae; 2, 28: visus adulescens in balneis admovere marmori manus utriusque digitos alternatim et pectori; XXXI, 16, 6: interfecti hostis iugulo labra admovit. Apud Ciceronem et Livium praeterea praep. „ad" legitur.

annumerare verbum cum dativo construitur XXVIII, 1, 4: indignatione damnatus est (Phrynichus) populi arbitrati — hos — dolores scaenicis adnumerasse fabulis insolenter. Eodem modo verbum apud Tacitum adhibitum est, cum Cicero etiam praep. „in" c. abl. admiserit.

adolescere verbi participium, quod ad adiectivi vim accedit, secum habet praepositionem „in" finem exprimentem XXX, 3, 3: adultae in pastum herbae.

apparare verbo dativus finalis additur XIIII, 7, 20: incertum — cuius usibus apparatum (indumentum regale)

appellere verbum sequitur praep. „ad", quam semper posuit Cicero XIIII, 2, 3: nemo deinde ad has stationes appulit navem. Prorsus alia est Taciti ratio, qui dativum et nudum accusativum adhibuit.

applicare verbum ut ubique Cicero sic Ammianus cum praep. „ad" conectit, cum Livius etiam dativum praebeat (cfr. Kuehnast, p. 134) XXVIII, 4, 33: per applicatos homines ad plodendum. Comprobo C. F. W. Muelleri (Fleck. J. f. Phil. 107 p. 360) emendationem „ad plodendum" pro codicum „d laoquendum" inepta scriptura.

apponere verbum 1) proprie usurpatum iungitur 1) cum praep. „in" c. abl. XXIII, 4, 1: subtiliter adponit (artifex) in temonis cavamine sagittam. 2) translate a) cum dativo XXI, 8, 1: aliosque plures — militibus regendis adposuit (Julianus); 14, 2: genius — tutelae salutis adpositus; 16, 9: spectatores adponebat (Constantius) his litibus truces; XXII, 7, 7: rectores militibus diu exploratos adponens (Julianus);

XXV, 1, 8: ductore — aliae turmae adposito; XXVIII, 5, 1: Nannenus — regionibus isdem appositus; XXVIIII, 5, 35: gentibus — adposuit fidei conpertae praefectos. b) cum praep. „ad" XXIII, 3, 8: ad furta bellorum adpositi (Saracenarum reguli gentium), quo loco „appositus" vox idem valens atque „idoneus" prorsus adiectivi notionem induit. In libris Taciteis verbum ubique dativum, qui etiam, quantum ex lexicis video, usitata Livii structura fuisse videtur. Ciceronianis praep. „ad" quoque assumit.

acquiescere verbum ubique dativum secum habet XVIII, 2, 18: ne — barbari — adquiescerent per alios inpetratis; XX, 4, 4: hisque adquieverat Julianus; XXV, 4, 23: cum Metrodori mendaciis avidius adquiescit (Constantinus); XXVII, 12, 17: divisioni adquievit (imperator) Hiberiae.

arrogare verbum ut semper apud Ciceronem cum dativo personae exstat XXV, 4, 7: tantum sibi adrogans (Julianus).

asciscere verbo A. praepositiones apposuit 1) „in" a Tacito ubique exhibitam XIIII, 6, 13: adscitus in amicitiam; XV, 8, 1: Julianum — in societatem imperii adsciscere cogitabat; 10, 7: adscitus in societatem rei Romanae; 11, 17: Ararim — suum in nomen adsciscit (Rhodanus); XV, 11, 1: Caesar — in collegium fastorum a consule octiens Augusto adscitus; 7, 6: adscitusque (Eutherius) postea in palatium; XVIII, 2, 11: adscito Lupicino in consilium; XVIIII, 9, 5: ut — in potestatem suam iuberet (rex) propitius maritum adscisci; XX, 4, 22: adsciti in consistorium; XXI, 13, 13: adscitis in societatem superbam auxiliaribus paucis; XXII, 9, 13: adscitumque (Celsum) in consessum vehiculi; XXIII, 1, 1: adscito in collegium trabeae Sallustio; XXVI, 2, 7: adscito in honorum verticem eo, quem. „In" praepositionem, quam codices omittunt, editores textui recte addidisse elucet. 7, 1: cupediarum vilium mercatores — in insoliti casus ambigua partim inviti, alii volentes adsciscebantur. „In", quod in manu scriptis deest, editores iure in ordinem verborum inseruerunt. 8, 1: Rumitalca — tribunus in societatem Procopianorum adscitus; XXVII, 1, 2: adscito in societatem laboris Severiano; XXX, 1, 3: adscitis in societatem genti-

libus paucis; 3, 1: Gratiano adscito in trabeae societatem Aequitio consule: 7, 4: in Augustum collegium fratrem Valentem adscivit (Valentinianus); XXXI. 1. 1: furiis in societatem adscitis. 2) „ad“ XX, 8, 14: eos ad latus imperatoris adscisci. „Ad“ praepositionem in libris omissam recte in editionibus adiectam esse apparet. XXV, 5, 8: ad umbram imperii Jovianum — adscitum: XXVIII, 1. 19: Amantius aruspex — occultiore indicio proditus, quod ob prava quaedam implenda ad sacrificandum ab eodem esset adscitus Hymetto; XXXI. 8, 4: Hunorum et Halanorum aliquos ad societatem — adsciverunt. Semel dativus personae exstat, quem etiam Cicero praeter praepositiones verbo saepius adiunxit XXVII, 6, 16: nec enim quisquam antehac adscivit sibi pari potestate collegam.

assentiri verbum cum dativo omnium scriptorum proprio a) personae XX, 2. 2: quibus (obtrectatoribus) imperator adsensus. b) rei XX, 8, 2: nusquam adsensurum Constantium factis; XXVII, 5. 9: cum propositis condicionibus adsentiri Gothos docuissent litteris veris.

assignare verbum ut apud Ciceronem, Livium, Tacitum dativus sequitur XIIII. 10, 15: non enim inertiae sed modestiae humanitatique — hoc quod recte consultum est adsignabitur; XV, 5, 35: hoc quoque felicitatis suae prosperis cursibus adsignabat (princeps); 8. 14: adsignatam tibi ab ipsa republica stationem cura pervigili defensurus; XVI, 4, 3: quod indignitati rerum est adsignandum; 12, 68: quicquid — agebatur felicibus eius auspiciis adsignantes; XVIII. 6, 6: ut — ducis novi virtuti facinus adsignaretur egregium; XX. 4, 8: ei provinciarum interitum adsignare; 8, 6: nihil usquam periculis meis adsignans; XXI, 1, 7: quoniam erudito studioso cognitionum omnium principi malivoli praenoscendi futura pravas artes adsignant; XXV. 9, 12: Constantio, qui munimenta praesidiaria cum regionibus Persicis optimatibus adsignaret; XXVIII, 4, 12: obsidiones urbium et pugnas et milia hostium isdem ut heroicis aemulis adsignantes; 5, 14: ut solent Aegyptii casus eius modi suis adsignare

rectoribus; XXX, 4, 22: ut — omnem certaminum exitum isdem (patronis) soleant adsignare.

assistere verbum, cui Cicero et omnino boni auctores praepositionem, Tacitus vero dativum (cfr. Lehmann, p. 32 sq.) subiunxit, apud A. varias admittit structuras. Leguntur enim 1) preepositiones a) „apud“ XV, 8, 5: Adsistimus apud vos — causae communi uno paene omnium spiritu vindicandae, fine actionis expresso dativo substantivi cum gerundivo iuncto. b) „prope“ XXIII, 4, 1: quarum (cochlearum) prope unam adsistit artifex. 2) ablativus nudus XXIII, 5, 15: ipse (imperator) aggere glebali adsistens. 3) incertae casus formae, quae ex analogia exemplorum Taciti a Lehmanno l. c. congestorum nescio an contra Hassensteinium p. 6 pro dativis accipiendae sint XIIII, 1, 6: honoratorum circulis adsistendo; 2, 2: seseque suspensis passibus iniectantes in scaphas eisdem sensim nihil opinantibus adsistebant. „Sensim“ est emendatio Eyssenhardtii a Kiesslingio (Fleck. J. f. Phil. 103 p. 495) laudata et a Gardthauseno in textum illata pro corrupta manu scriptorum lectione „enim“. Sed rectene scribatur illud „sensim“, cum Guenthero p. 60 admodum dubius sum, cum praedones illi cum arrepserint non sensim iacentibus adsistant, sed subito. Quare certam emendationem adhuc esse inventam nego. 10, 10: imperator — tribunali adsistens; XVIII, 9, 3: sex legiones — muris adstitere firmissimis; XXVIII, 4, 34: humum summis pedum unguibus contingentes aulis adsistunt.

adstare verbum locali sensu cum dativo ut plerumque in Taciti libris coniunctum est, quae est poëtica structura XXIII, 6, 80: famulo mensae(que) adstanti. Scriptores optimae latinitatis praepositiones „ad“ vel „in“ adhibere solent; perraro etiam praep. „in“ apud Tacitum legitur (cfr. Lehm., diss. p. 33).

assuescere verbo, cui Livius dativum et ablativum, quin etiam praep. „in“ c. acc. (cfr. Kuehnast, p. 138 et 162), Tacitus vero nonnisi dativum adiecit, A. sicut Cicero ubique ablativum coniunxisse videtur. Legitur verbum idque semper in participii passivi forma positum hisce locis XVII, 13, 27:

latrociniis adsuetus occultis; XX, 8, 8: homines adsueti glacialibus terris: XXII, 15, 15: adsuetum (exitiale quadrupes molum) elementis ambobus; XXIII, 6, 61: adsueti (Scythae) victu vili et paupertino: XXIIII, 1, 5: pars maxima natatu adsueta; XXV, 4, 13: militem Gallicanum pruinis adsuetum et Rheno; XXVIIII, 5, 7: pruinis adsuetum — militem; 6, 9: Probus, nullis bellorum terroribus adsuetus.

assumere verbo adduntur praepositiones a) repetita XV, 8, 3: ad imperium placuit Julianum adsumere; XVII, 13, 19: ad quos opprimendos — Taifalorum auxilium et Liberorum adaeque Sarmatarum adsumptum est; XXVI, 4, 1: percunctabatur (Valentinianus) quemnam ad imperii consortium oporteret adsumi; 6, 10: arbitratusque (Procopius) — negotio levi ad apicem summae potestatis adsumi. b) „in“ XIIII, 11, 29: assumptus (Gallus) — in amplissimum fortunae fastigium; XVI, 9, 2: adsumpto in deliberationes huius modi Cassiano Mesopotamiae duce; XXX, 7, 7: post Gratianum filium in societatem suae potestatis adsumptum; 9, 2: quem (fratrem) — in amplitudinis suae societatem adsumpsit (Valentinianus); XXXI, 5, 17: adsumpto in imperium Claudio glorioso ductore. Cicero dativo et praep. „ad“, Livius dativo et praep. „ad“ et „in“ usus est.

assurgere verbum sequitur semel praep. „ad“ XVIIII, 6, 11: ad arripienda, quae urgebant, acri animo adsurgens; semel praep. „in“, qua indicatur, in cuius honorem aliquid fit XVII, 13, 33: contio omnis — vocibus festis in laudes imperatoris adsurgens.

attendere verbi participium adiectivi vi praeditum sequitur 1) dativus XXI, 1, 10: Extis — pecudum attenti fatidicis; XXX, 4, 5: attenti (oratores) studiis doctrinarum. 2) „ad“ XXVI, 6, 14: adtenti ad omne compendium.

attollere verbum in eadem formula bis cum iterata praepositione directionem indicante coniungitur XIIII, 8, 1: qui (vertices) ad solis ortum sublimius attolluntur; XV, 10, 2: unde ad solis ortus adtollitur (plaga).

attribuere verbum bis cum dativo personae XVIII, 2, 18: Macriano quidem et Hariobando pax est adtributa; XIIII,

11, 5: quam ob rem relictis laribus post pacem et foedera petentibus adtributis.

advehere 1) praep. „in“ XIIII, 8, 15: hostiles — exuviae — in urbem advectae sunt. 2) dativus personae XVI, 11, 12: qui (commeatus) eis recens advectus est.

advocare cum praep. „in“ XIIII, 10, 10: advocato in contionem exercitu.

coaptare XXIIII, 6, 8: lamminis coaptati corporum flexus.

concedere = committere, dare, tribuere XVI, 10, 11: patientiae non mediocris indicia — uni illi (Constantio) concessae; XX, 4, 4: potioris arbitrio cuncta concedens (Julianus); 5, 9: ne turbandae dispositioni consultae tempus saltem breve concederetur; 8, 14: residuos ordinarios iudices militiaeque moderatores promovendos arbitrio meo concedi est consantaneum; XXV, 9, 9: numquam — terrarum pars ulla nostrarum ab imperatore vel consule hosti concessa; XXVI, 2, 8: si patientia vestra — id mihi — concesserit libens; XXVII, 12, 8: biduumque ad deliberandum — sibi concedi clausos petisse adseverantes; XXX, 8, 9: fructum contrectare — sibi concessum; XXXI, 12, 8: id sibi suisque — habitanda Thracia sola cum pecore omni concederentur et frugibus. In libro Vaticano est „concederetur“, quod ab omnibus fere editoribus receptum est. Sed scribendum est ex emendatione Hauptii (ind. lect. berolin. 1874) cum Gardthauseno „concederentur“, cum „sola“ substantivum intellegendum esse appareat. Commemorarim verbum cum praep. „ad“ et „in“ iunctum saepius occurrere idem fere valens quod „coalescere ad“, quo sensu sequitur 1) „in“ XXIII, 6, 2: Hoc regnum — in vocabulum Parthi concessit Arsacis obscure geniti; 6, 35: aucti (magi) paulatim in amplitudinem gentis solidae concesserunt; XXVIII, 3, 7: quae (provincia) in dicionem concesserat hostium. 2) „ad“ XXIII, 6, 15: ad unum concessit (Assyria) vocabulum; XXXI, 2, 17: Halani — aevi — progressu ad unum concessere vocabulum.

conciliare cum dativo 1) personae XV, 13, 4: mutuaque commercia vicissim sibi conciliando; XXVIII, 4, 32: artifices scaenarii per sibilos exploduntur, siquis sibi aere humiliorem

non conciliaverit plebem. 2) rei XXV, 3, 22: caelo sideribusque conciliatum — principem.

concinere XV, 5, 9: compositas litteras his concinentes, quas obtulerat principi per praefectum; XX, 4, 1: perfugae concinentes exploratoribus; 8, 3: eisque (gestis) concinentes litteras; XXVII, 6, 8: familiae suae laudibus maiorumque factis praestantibus concinentem (Gratianum). Alia est ratio verbi, ubi finis praepositione „in“ additur XXVIIII, 5, 2: in earum (relationum) favorem concinentibus multis.

concinnare cum praep. „ad“ finem indicante XXVIIII, 2, 3: ad insontium perniciem concinnata (incantamenta).

concordare verbi praepositio ut plerumque in latinitate geminata est. XXVIII, 6, 20: cum Romano — Palladius concordabat. Semel poëtarum more dativus legitur XXXI, 3, 1: reliquos sibi concordandi fide pacta iunxerit, ubi dativus „sibi“ etiam ad „concordandi“ subaudiendus est.

concorporare XV, 11, 8: spumeus (Rhodanus) Gallico mari concorporatur.

concurrere verbum bis cum dativo a Vergilio in usum vocato coniungitur a) personae XXIII, 3, 5: ut — apud Assyrios adhuc agenti sibi (Juliano) concurrerent. b) rei XX, 3, 9: cum ad idem signum aequis partibus soli concurrerit (luna). Neque a sermone Liviano dativus alienus est, quamquam hic praepositio iterata aliaeque structurae praevalent (cfr. Kuehnast, p. 135); classici vero scriptores verbum non posuerunt nisi absolute.

conducere verbum idem valens quod „συμφέρειν“ dativus sequitur a) personae XXVII, 12, 14: cum sibi (Sapori) conduceret. b) rei XIIII, 11, 13: quaedam conducentia saluti suae; XVII, 5, 12: negotium publicae utilitati conducens; XVIII, 1, 1: provinciarum fortunis multa conducentia disponebat (Julianus); XXVIII, 5, 4: cum id rei publicae conducere videretur; XXVIIII, 5, 16: quoniam id rei publicae conducebat; XXX, 2, 4: id conducere rebus existimans (imperator); 3, 4: ut conducebat rei publicae; XXXI, 4, 13: ut communi rei conducere videbatur; 11, 2: conducens rebus publicis aliquid — acturus (Sebastianus). Bis in eadem

formula praepositione „in“ finis exprimitur XXI, 5, 7: quae in commune conducunt: XXVI, 2, 7: quod conducere arbitror in commune.

conferre verbo adiciuntur 1) dativus XVIII, 2, 6: auxiliarii milites — fabricandi ministeriis opem maximam contulerunt; XXI, 16, 17: Augebat etiam amaritudinem temporum flagitatorum rapacitas inexpleta plus odiorum ei (Constantio) quam pecuniae conferentium. 2) praepositio a) geminata in locutione ad rem militarem spectante XXXI, 7, 12: pes cum pede conlatus est; translate XXIIII, 2, 20: copiam sibi dari conferendi sermonis cum Ormizda poscebant. b) „ad“ XVI, 11, 10: Germani — ad ulteriora necessitudines et fruges opesque barbaricas contulerunt; translate XIIII, 11, 7: Constantius cuncta ad suam sententiam conferens; XXIIII, 2, 19: ad hanc molem ingentem — prohibitores oculorum aciem intentius conferentes. c) „in“ XV, 1, 2: omni placendi studio in adulationem ex more conlato; XVI, 2, 6: residuos in curam celeritatis omne quod poterant conferentes — innocuos abire perpessus est; XIIII, 10, 13: ut in breve igitur conferam — qua ex causa; XVII, 5, 4: propositum meum in pauca conferam; XXXI, 4, 4: conlatis in unum suis et alienigenis viribus. d) „adversus“ XVII, 13, 8: adversus ipsum principem stantem — altius omnem impetum contulerunt.

confligere verbum ut classici A. cum repetita praepositione exhibet XXVII, 4, 11: Lucullus, qui cum durissima gente Bessorum conflixit omnium primus.

confundere proprie cum dativo exstat XVI, 3, 1: ubi amnis Mosella confunditur Rheno.

congerere verbo ab A. adscribuntur praepositiones a) „in“ XVI, 11, 12: residuum — congestum in acervum, XXVIII, 1, 3: ut — arsuros se certatim congererent in communem pereuntis patriae rogum; XXVIIII, 5, 2: Romani quidem relationes multa et aspera congerentes in Firmum; 5, 46: Igmazen post convicia multa, que congessit in ducem, — abscessit. b) „ad“ XXXI, 1, 2: praeconum — mandantium congeri

ligna ad Valentini lavacri succensionem. Dativi structura pro praep. „in" c. acc. inde a Livio usurpata non occurrit.

congredi verbum apud classicos scriptores cum praepositionibus constructum apud A. assumit etiam dativum poëtis usitatum. Legitur 1) geminata praepositio XVI, 12, 22: ex equo bellatorem cum cibanario nostro congressum; XVIII, 8, 4: congredi cum hoste; 8, 9: non nulli eum hoste congressi; XXIII, 5, 11: Maximiano — Caesari cum Narseo Persarum rege — congressuro; XXVIIII, 5, 24: cum hostibus congredi. 2) dativus XV, 4, 1: Arbetio — barbaris congressurus; 8, 13: si hostibus congredi sit necesse; XXVII, 1, 1: congresi (Alamanni) saepe Juliano Caesari; XXVIII, 5, 2: ad mortem destinatae plebi congressi Nannenus; XXVIIII, 5, 29: congressusque (Theodosius) multitudini immensae cum paucis; XXX, 7, 7: Alamannis congressus (Valentinianus); XXXI, 16, 5: Saracenorum cuneus — congressurus barbarorum globo repente conspecto.

congregare verbum assumit 1) dativum XXVIIII, 5, 27: gentem — Musonum, quam conscientia rapinarum et caedum actibus congregaverat Firmi. 2) praepositionem a) „cum" XXVIII, 1, 53: ut solent pares facile congregari cum paribus: b) „ad" XXIIII, 6, 15: ad imperatoris tentoria congregatus (miles). Reliquis locis in eadem locutione c) „in" XVI, 2, 8: in unum congregatum exercitum; XXV, 10, 3: in unum stellis multiplicibus congregatus; XXVIII, 5, 11: antequam milites congregarentur in unum.

congruere verbum A. eodem fere modo atque Cicero et Livius construxit; posuit enim 1) praep. „cum" XX, 8, 17: nequid sublatius dicam cum imperio congruens. 2) dativum XVI, 1, 4: rectae perfectaeque rationis indagine congruens (Julianus) Marco; XVII, 11, 1: his congruentia plurima; 13, 32: hoc enim boni principis menti, hoc successibus congruit prosperis; XX, 4, 18: primis auspiciis non congruere aptari muliebri mundo; XXI, 2, 3: ut dignitatis augmento virium quoque congruerent incrementa; 13, 10: nequid — committam inculpatae parum congruens honestati; XXII, 1, 2: cumque ille timeret ne cupiditati suae congruentia fingerentur.

„Ne", quod in codicibus deest, quin recte a Gelenio sit additum, dubitari nequit. 9, 6: cuius (simulacri) super adventu in Italiam pauca cum aliis huic materiae congruentibus — digessimus; XXV, 4, 26: si consiliis eius (Juliani) et factis inlustribus decreta scaelestia congruissent; XXVI, 3, 6: nulla — murmura super inopia victui congruentium; XXVIII, 2, 5: ut officio principis congruebat. Praeterea legi 3) „in", quod Livius, qui etiam aliquotiens praep. „ad" verbo adiunxit, primus admisisse videtur (cfr. Kuehnast p. 135) XXI, 10, 7: in unum cunctorum sententia congruente. 4) „inter" XXX, 5, 14: summi et infimi inter se congruentes. Adiectivo „congruus" semel praep. „ad" apponitur XXV, 1, 4: omnibus ad esum congruis. Ceteris locis dativus exstat XVI, 4, 4: exigua quaedam victui congrua; XX, 11, 7: cuncta obsidioni congrua parabantur; XXI, 12, 22: congrua instantium sollicitudinum moli ipse (Julianus) quoque agitans; XXIII, 2, 5: ut in eadem urbe cuncta usui congrua pararentur. Pro corrupta Vaticani scriptura „sui" pulcherrime coniecit Kiesslingius (Fleck. J. f. Phil. 103 p. 503) „usui", quod Gardthausenus textui inseruit. XXVI, 7, 10: aliud tempori congruum; XXVII, 6, 7: haec — congrua nobis; XXVIIII, 5, 15: pollicitique victui congrua militibus; XXX, 3, 3: cetera usui congrua; 4, 14: mimiambus non causarum remediis congrua commentantes.

cohaerere verbi structura Ammianea ab usu classicorum scriptorum semper iteratam praepositionem adhibentium prorsus recedit, cum omnibus locis dativus appositus sit XVI, 8, 8: cum vidisset — duos clavos ita latissimos ut sibi vicissim arte ministrantium cohaererent; 12, 53: quorundam capita discissa trabalibus telis et pendentia iugulis cohaerebant; XXII, 11, 6: aedificia cuncta solo cohaerentia, a conditore Alexandro magnitudine inpensarum publicarum extructa, emolumentis aerarii proficere debent ex iure. Haec codicibus exhibentur neque habent quidquam offensionis, si verba sic interpretamur: quidquid est aedificiorum ab Alexandro Magno inpensis publicis exstructorum, emolumentis et quae sq." Quapropter non opus est coniectura Reinesii „Serapeio vel

Bucolo" praeterea nimis a scriptura codicum discedente. XXIII, 5, 21: superest ut — quisque agmini cohaerens incedat; XXV, 1, 12: ut — spicula sinistris manibus cohaererent; 2, 6: cum lumen aliquod cohaeserit nubi. De situ dictum est XXII, 15, 2: terrarum situ cohaeret (Aegyptia gens) immenso; XXIII, 6, 64: a septentrione et orientali nivosae solitudini cohaerentes (Seras); 6, 66: quibus (Essedones, Athagurae ab occidentali parte cohaerent et Aspacarae. Sequor Gardthausenum ex auctoritate Ptolemaei scribentem pro „Athagorae", quod est in manu scriptis, „Athagurae" (cfr. con. Ammian. p. 32).

coniungere verbo, cui Cicero persaepe praep. „cum", paulo rarius dativum adscripsit, ut Tacitus ita A. nonnisi dativi structuram accommodavit. 1) Proprie XXIII. 4, 1: eique (chordae) cochleae duae ligneae coniunguntur. 2) translate XIIII, 8, 10: has — provincias — Gnaeus Pompeius — dicioni Romanae coniunxit; XV, 5, 22: tribunis et protectoribus domesticis decem — ei (Silvano) coniunctis; 9, 7: varietas saepe satietati coniuncta; XVI, 12, 17: Vadomarii plebs — agminibus bella cientium barbarorum sese coniunxit.

collimitare verbum ab usu classicorum scriptorum abhorrens bis dativus sequitur XXIII, 6, 45: laeva Persico mari conlimitant (Arabes); XXXI, 2, 14: Gelonis Agathyrsi conlimitant.

colloqui verbi praepositio semper iterata legitur XV, 5, 10: nec enim meminerat secum aliquando super negotio ullo interiore hos conlocutos; 5, 16: sensim cum principiorum verticibus secretius conlocutus (Silvanus); XXI, 14, 5: itidem ex sempiternis Homeri carminibus intellegi datur, non deos caelestes cum viris fortibus conlocutos. Ita est in codice Vaticano, in quo scriptum esse „locutos" Eyssenhardtius falso dicit. XXII, 16, 21: cum aquila conloquens (Pythagoras) subinde visebatur.

colluctari verbo, quod aureae quam vocamus aetatis scriptoribus deest, A. semper praep. „cum" admisit, cum alii scriptores dativo quoque utantur. Legitur hisce locis XXI, 15, 3: diuque cum anima conluctatus (Constantius); XXX, 4, 19: quasi cum Antaeo vetere conluctati; XXXI, 6, 4:

Fritigeruus frustra cum tot cladibus conluctari homines ignaros obsidendi contemplans; 7, 16: Romanos, cum ea copiosa multitudine conluctatos.

committere verbo omnibus locis translate adhibito (= commendare, tradere, tribuere) dativus additus est; numeros locorum verbi in frequentem usum vocati indicasse satis sit. Loci sunt hi XIIII, 1, 5; 8, 14; 10, 7; XV, 2, 10; 5, 15; XVI, 7, 10; 8, 10; 10, 3; 12, 55, bis; XVII, 3, 4; 3, 6; 13, 15; XX, 5. 4; XXI. 4, 5; 5, 13; 8, 1; 8, 3; 9, 8; XX, 3, 1; 3, 12; XXIII, 1, 4; 3, 5; XXV, 5, 3; 5, 7; 6. 12; 8, 16; 10. 9; 10, 16; XXVI, 3, 4; 4, 4; 6. 3; 7, 4; 8, 5; XXVII. 6, 13; 12, 5; XXVIIII, 1, 23; 5, 7; 5, 19; 5, 29; XXX. 1. 18; 4. 20; XXXI, 11, 1; 12, 5; 14. 6.

commulcere dativum personae secum habet XXVIIII, 1, 11: Valentem subrusticum hominem sibi varie conmulcebat (Modestus).

communicare cum iterata praepositione bonis scriptoribus usitatissima XXI, 7. 1: cum ducibus communicato saepe consilio.

connectere verbo in construendo A. cum Tacito ubique dativum usurpante conspirat, cum Cicero praepositionem iteratam exhibuerit. Legitur 1) proprio sensu XXI, 19, 9: trigeminis navibus valde sibi conexis. 2) translato XXI, 14, 5: genii animis conexi mortalium; XXVII. 9, 10: privatorum parietes isdem (aedibus sacris) — conexos; XXXI, 12, 16: sagittarii et scutarii — adversis conexi.

connumerare verbum nihil diversum ab verbo „adnumerare" cum dativo exstat XXV, 4, 1: heroicis connumerandus (Julianus) ingeniis.

comparare verbo in usurpando A. cum Cicerone plane congruit, cum verbo idem significanti quod „conferre" adscribat 1) geminatam praepositionem XXVII, 6, 15: imperatorem — cum veterum laetissimis comparandum; 2) dativum XVI, 7, 8: cui spadonum veterum hunc comparare debeam; XVII, 1, 14; bello, comparando quidem Punicis et Teutonicis; XXI, 16, 8: cum esset in negotiis aliis principibus mediis comparandus; XXVII, 10, 16: Natuspardo — exsertus ita bellator, ut Sicinio veteri conparetur et Sergio. Nihil fere a

simplici verbo differt XVI, 7, 5: adminicula ausis tumultuariis maxima compararunt. Tacitus verbo ubique dativum admisit.

competere verbi participium vi adiectivi indutum invenitur XVII, 13, 24; tutela Illyrico conpetens gemina est ratione firmata.

consarcinare verbo proprie posito additur dativus personae XXII, 9, 11: quem — chlamydem huius coloris memorat sibi consarcinasse; translate praep. „in“ XXX, 1, 2: consarcinabat in hunc etiam tum adultum crimina quaedam apud Valentem exaggerentes male sollertes homines.

consciscere verbum in formula trita dativum personae assumit XXX, 5, 10: conscivisse sibi alium mortem.

consecrare XXII, 8, 35: temploque et donariis eidem heroi consecratis; 14, 7: inter animalia antiquis observationibus consecrata.

consentire verbum, cui boni scriptores sine ullo discrimine dativum et praep. „cum“ adiciunt, A. cum iterata praepositione posuit XXVI, 2, 8: patientia vestra cum aequitate consentiens. Alias finis actionis praepositione „in“ significatur, quae structura iam apud Livium occurrit (cfr. Kuehnast, p. 137) XIIII, 10, 16: multitudo omnis — consentit in pacem; XXVI, 6, 14: omnes in eius (Procopii) studium consensisse; 7, 17: nuncupatum imperatorem stipatumque idem consentientes in unum reduxerunt ad castra. Sic locum egregie restituit Gardthausenus ex corrupta Vaticani codicis scriptura „stipatum quidem coresentientes“. Ceteri editores receperunt ex parte Gelenii lectionem, „stipatum quidem consentientes“, ex parte Accursii „stipatumque de more sentientes“ sic scribentes „stipatumque de more consentientes“. Quae scriptura etsi apto sensu haudquaquam destituta est, tamen Gardthauseni emendationi, cum propius accedat ad litteras librorum, posthabenda est. Id quoque vulgatae lectioni minus favere videtur, quod paucis verbis intermissis vocabulum „mos“ repetitur, Quod vero Schneiderus (quaestiones Ammianeae, diss. berol. 1879 p. 23 sq.) legendum proponit „stipatumque iam curiose sentientes in unum“ ab iis, quae exhibet Vaticanus, remotius videtur, quam ut probari possit.

conserere verbum iunctum legitur 1) cum dativo XIIII, 8, 13: Huic (Palastinae) Arabia est conserta, ubi vox „conserta“ ad vim adiectivi „finitimus“ accedit. XXIII, 4, 12: conseruntur autem eius frontalibus trisulcae cuspides praeacutae. 2) cum repetita praepositione XVII, 5, 12: praefectus praetorio meus — cum duce tuo — sermones conseruit super pace; bis in formula „manum conserere“ XVIIII, 6, 3: conserendae cum hostibus manus copiam — poscebant (milites); XXVIIII, 5, 14: conserta manu cum nostris.

consociare XIIII, 9, 1: quaesitoresque subditivos sibi consociatos; XV, 4, 8: agmini quisque proprio sese consociavit; XXIII, 6, 57: Artamis et Zariaspes ante sibi consociati; XXVIIII, 5, 17: legatis — qui se consociaverant Firmo.

conspirare verbo semel apponitur dativus XIIII, 5, 6: conspirasse Magnentio; semel praep. „cum“ XVI, 12, 17: omnis eius populus cum nostris hostibus conspiravit.

contendere verbo A. semel ut semper Cicero praep. „cum“ adscripsit XXVIII, 1, 46: in cruento — certamine cum Maximino velut antepilano suo contendens; semel praep. „contra“ XXXI, 10, 15: perniciosum apparebat — contra asperitates aggerum prominentium — contendere.

conterminare verbum non nisi apud A. exstans cum dativo coniunctum invenitur XIIII, 2, 5: per municipia plurima, quae isdem conterminant; 8, 5: orientis — limes — laeva Saracenis conterminans gentibus; XVII, 6, 1: Alamannorum pars Italicis conterminans; XXIII, 6, 13: Cadusiis conterminat; 6, 45: Quibus (Parthis) ab orientali australique plaga Arabes beati conterminant; XXV, 7, 12: Armeniae maximum latus Medis conterminans. Eadem est structura adiectivi „conterminus“ XXIII, 6, 61: Scythae — Asianis contermini Sarmatis; XXVIII, 6, 2: Austoriani his contermini partibus barbari.

contingere cum dativo personae XXXI, 13, 17: illud — certum est, nec Scipioni, nec Valenti sepulturam — contigisse.

incedere cum adverbio locali XIIII, 6, 17: quaqua incesserit quisquam; quod repetitur XXIIII, 3, 12.

incīdere verbum, cui Cicero praep. „in“ c. acc. et abl. apposuit, apud A. praeter praep. „in“ c. abl. etiam dativus sequitur. 1) dativus XXVIIII, 5. 22: Sagittariorum — primoribus manus incidit. Reliquis locis de loco adhibetur XVII, 4, 8: hieroglyphicas (notas) —, quas ei (obelisco) undique videmus incisas; 4, 17: qui autem notarum textus obelisco incisus est veteri: 2) „in“ c. abl. XV, 9, 6: quod etiam nos legimus in monumentis eorum incisum; XXVIIII, 1, 30: cuius (lancis) in ambitu rotunditatis extremo elementorum viginti quattuor scriptiles formae incisae perite; XXXI, 1, 4: in quadrato lapide — hi Graeci versus incisi reperti sunt.

incĭdere verbum a Cicerone et Livio cum iterata praepositione et dativo inde a Livii aetate demum magnopere amplificato constructum (cfr. Augustin, p. 14 et Kuehnast, p. 138) apud A. dativum, semel praep. „in“ c. acc. assumit, cum Tacitus repetitam praepositionem, atque etiam uno loco accusativum admiserit (de quo vide Lehmann, diss. p. 36). Exstat 1) dativus XVII, 7. 11: qui (venti) cum soliditatibus concrustatis inciderint; XXVIIII, 1, 31: qui (anulus) per intervalla distincta retinentibus singulis litteris incidens saltuatim. 2) „in“ XXX, 1, 13: viator — in Armenios incidit fessos. Eodem redit adverbium „huc“ XXIII, 6, 32: quoniam huc incidimus.

incitare cum praep. „ad“ XVI, 12, 13: salutaris quidam genius praesens ad dimicandum eos — incitabat; XX, 1, 1: Alamannis ad saevitiam etiam tum incitatis et bella; XXVIIII, 5, 49: hae insperatae voces ad dimicandum quosdam acrius incitarunt.

inclinare verbum a Cicerone cum praep. „ad“, a Livio cum praep. „ad“ et „in“ iunctum (cfr. Kuehnast, p. 136 et 137) A. varium in modum construxit. 1) Proprie dictum sequitur a) „ad“ XV, 5, 17: ad occasum inclinato iam die. b) dativus α) personae XVII, 13, 21: ut superatos et inbelles dominos aspernati fortioribus visis inclinavere cervices, ubi tamen voces „fortioribus visis“ nescio an melius pro ablativis absolutis accipiendae sint. β) rei XXXI, 2, 6: inclinatus cervici angustae iumenti. c) ablativus, ubi de situ gentium

sermo est XXIII, 6, 66: Baetae vero australi celsitudine montium inclinati; 6, 70: ipsi (Paropamisadae) quoque montium defectibus inclinati. 2) Translate, quo sensu ubique praepositiones adduntur a) „ad“ XVIII, 5, 1: ad deferendam potioribus gratiam qui spectabant negotium inclinatis; XXVI, 9, 5: multis ad perfidiam inclinatis; XXVII, 11, 6: ita inplacabilis — ut nec exorari posset nec ad ignoscendum erroribus inclinari; XXX, 8, 10: dignitatum apices maximi — ad supplicandum contrarios exturbandosque meliores pronius inclinati; 9, 5: nec interdictis minacibus subiectorum cervicem ad id, quod ipse coluit, inclinabat (Valentinianus). Active usurpatur XVI, 1, 6: neve armatorum mobilitas saepe versabilis ad praesentium quendam inclinaret arbitrium. b) iterata praepositio XXVIII, 6, 29: Romanus — secum Caecilium duxit, cognitores accusaturum ut inclinatos in provinciae partem. Adverbia loci leguntur XXIIII, 2, 13: neutrubi proelio inclinato; XXI, 1, 12: ocularis pupilla neutrubi inclinata; XXIIII, 2, 14: neutrubi inclinato momento.

includere verbum, cui Cicero plerumque praep. „in“ c. abl. ut aliquotiens Livius vel „in“ c. acc., perraro tantum dativum adnexuit (cfr. Augustin, p. 15), apud A. cum praep. „intra“ iunctum occurrit, praeterquam quod uno loco nudum ablativum inde a Livii aetate in frequentiorem usum assumptum (cfr. Draeger, I, 510; Kuehnast p. 173) posuit. Invenitur 1) „intra“ XVIIII, 2, 14; intra civitatis ambitum non nimium amplae legionibus septem — inclusis; 3, 2: inclusos intra retia catulos; XXVIIII, 2, 2: multos intra casses lugubres includebat (Palladius); 2) ablativus XXXI, 7, 3: barbaros locis inclusos.

incorporare XXIII, 4, 6: quibus (repagulis) incorporati sunt funes.

incumbere verbo in construendo A. ita a loquendi ratione Ciceronis, Livii, Taciti recedit, ut, cum hi plerumque praepositionibus „ad“ et „in“ usi sint, omnibus locis dativum posuerit. Legitur verbum 1) proprie dictum a) de hominibus XVII, 4, 5: Cornelius Gallus — stricto incubuit ferro; XXI, 6, 3: cancellis, quibus una cum pluribus incumbebat

(Amphilochius); XXVIII, 1, 47: fulcro plumeo vultu contracto incubuit (Hesychia). b) de rebus inanimis XXVIIII, 2, 4: occipitiis incumbentes gladios. 2) translate = operam dare, studere XIIII, 11, 1: antequam effundendis rebus pertinacius incumberet confidentia; XVII, 12, 4: populandis barbarorum incubuit (Caesar) terris; XXVI, 3, 5: non abolendae incubuit (senator) maculae; XXXI, 8, 6: qua quisque clausorum potuit, nullo vetante turbandis incubuit rebus. — ex insidiis aliquem petere XXIIII, 8, 6: non nulli Persas nobis viantibus incubuisse firmabant. = aliquem lege persequi XXV, 10, 7: intempestive — ex actuario ratiociniis scrutandis incubuit (Lucillianus).

incutere verbum ubique translate exhibitum dativum personae secum habet XXII, 14, 1: Quae tametsi maestitiam sollicito incuterent principi; XXIIII, 1, 3: ut hostibus — vel conspicantibus procul timorem multitudinis maioris incuteret; XXV, 3, 11: elephanti — pavorem iumentis incutiebant et viris; XXVI, 5, 12: metu ambitiosi nominis sui Germanis incusso. Propria vi apud Livium etiam praep. „in“ c. acc. invenitur.

indere verbum apud A. nisi dictum de nomine alicui dando non deprehenditur XIIII, 5, 8: unde ei (Paulo) Catenae inditum est cognomentum; 8, 6: quae (nomina) isdem (urbibus) Assyria lingua institutores veteres indiderunt; XV, 3, 4: et Paulo quidem — Catenae inditum est cognomentum; 5, 4: cui (Eusebio) cognomentum erat inditum Mattyocopae; 10, 9: hisque (Alpibus) harum indidit (Hercules) nomen. In plerisque editionibus exhibentur, quae Valesius in textu posuit, „hicque Graiarum indidit nomen.“ Sed cum Alpes Maritimae et Graiae haudquaquam finitimae sint, verba praecedentia „prope Maritimas Alpes“ vitio laborare necesse esse recte Gardthausenus ostendit. Quare dubium esse non videtur, quin Gardthausenus libri Vaticani scriptura „harum“ recepta et „hique“ mutato in „hisque“ genuina scriptoris verba Eyssenhardtio quoque probata restituerit (con. Ammian. p. 6 sq.) 12, 5: cui (Fabio Maximo) negotii plenus effectus asperiore Allobrogum gente devicta hoc indidit

cognomentum; XVI, 5, 2: cui (Catoni) Censorii cognomentum castior vitae indidit cultus; XXII, 8, 33: Arichi et Sinchi et Napaei — indidere mari nomen inhospitali. „Arichi“ coniecit Kellerbauer (Blaett. f. bayer. Gymnas. 1871 p. 19) ex auctoritate Ptolemaei pro „Arinchi“, quod codices exhibent. 15, 9: quae (nomina) ei (Nilo) — nationes indidere conplures; 15, 10: quibus (amnibus) subiecta vocabula veteres indiderunt; XXIII, 4, 7: cui (scorpioni) etiam onagri vocabulum indidit aetas novella; 4, 8: quae forma huic machinamento vocabulum indidit; 6, 3: cui (Nicatori Seleuco) victoriarum crebritas hoc indiderat cognomentum; 6, 23: moenibus Graeco indito nomine.

indicere verbum propria vi bis in formula „bellum indicere“ reperitur XV, 4, 1: Lentiensibus Alamannicis pagis indictum est bellum; XXVIIII, 5, 40: genti bellum indixit. Translate XVI, 5, 1: temperantiam ipse sibi indixit; XVII, 1, 2: ducem, plus laboris indicere sibi quam militi, — adsuetum; XXIII, 5, 24: nihil periculosum fore vel arduum clamitabat (miles) sub imperatore plus sibi laboris quam gregariis indicente.

indicare XVII, 12, 1: Augusto — indicabant nuntii graves; XXIII, 3, 4: agmina et commeatus omnis generis disponenti (Juliano) — indicatur; XXV, 3, 2: principi indicatur; XXVIIII, 5, 40: Hoc ei magni numinis adiumento gerenti prosperrime verus indicat explorator; XXXI, 10, 20: punito Scutario proditore, qui festinare principem ad Illyricum barbaris indicarat.

inducere verbo in scriptis Ciceronianis ubique praepositionem repetitam adsciscenti Ammianus Taciti usum dicendi secutus praeter praepositionem semel dativum attribuit eumque, ubi translate exhibetur, 1) „in“ XVI, 5, 11: inductis quadam sollemnitate agentibus in rebus in consistorium; XXII, 10, 5: inducta in iudicium femina quaedam; 14, 8: inductus (Apis) in thalamum; XXIII, 1, 19: inductusque (Amantius) in iudicium. De fabula in scenam inducenda XXVIII, 1, 4: hoc argumentum paulo postea digestum tumore tragico Phrynichus in theatrum induxerat Athenarum. 2) dativus

= initiare XXVI, 3, 4: servumque — arcanis piacularibus inducendum.

inferre verbo A. ubique dativum coniunxit. cum praeterea Cicero et Livius praep. „in". Tacitus praep. „ad" et „in" adhibuerit. Legitur 1) proprie XVII, 4, 14: Tibridis velut paventis ne — ipse parum sub meatus sui discrimine moenibus alumnis inferret (obeliscum); ibidem: Circo inlatus est (obeliscus) maximo: XXII. 8, 18: manus Atheniensibus intulerunt; XXVII, 5, 1: bellum principibus legitimis inferenti: XXVIIII. 5. 42: caput — cum magno visentium gaudio urbi inlatum est ante dictae. 2) translate XXI, 6, 8: Arsaces et Meribanes — damna negotiis Romanis inlaturi; XXVIII, 1, 50: quod (crimen stupri) intulisse dicebatur (Abienus) Anepsiae; 5, 6: ad inferendum periculum transeuntibus barbaris, — quo sensu etiam scriptores, quos in comparationem vocavi, dativum posuerunt.

infigere verbum, quod Cicero cum praep. „in" et dativo construxit. apud A. ut in libris Taciteis dativus solus sequitur. XVIIII, 2, 9: spicula membris infixa; XX, 3, 12: caelo infixas — stellas; XXIIII, 4, 4: unius lateri ferrum infixit (Julianus); XXXI, 15, 11: infixae (sagittae) — corporibus.

inflectere cum adverbio loci XXXI, 13, 6: quocumque se inflexerant oculi.

infligere verbum translate cum dativi exstat XXXI, 5, 7: post inflictas rei Romanae clades inmensas. Cicero verbo non solum dativum, verum etiam iteratam praepositionem admisit.

infundere verbum, cui Cicero praep. „in" et dativum subiunxit, apud A. pariter atque in libris Taciteis nisi cum dativo iunctum non adhibetur. Proprie XXIII, 6, 86: guttae matutini roris isdem (fetus) infusae; translate XIIII, 1, 1: fortunae saevientis procellae tempestates alias rebus infundere communibus; 5, 6: fluminis modo fortunis complurium sese repentinus infudit (Paulus); 6, 26: mentibus ardore quodam infuso; 9, 2: siquid auribus eius huius modi quivis infudisset ignotus; XV. 3, 5: Mercurius — si per quietem quisquam — vidisse aliquid amico narrasset, id — patulis imperatoris

auribus infundebat: XVII, 13, 9: equites — equitum se turmis agilibus infuderunt; XXIII, 6, 33: ex his, quae didicit, aliqua sensibus magorum infudit (Hystaspes); XXV, 10, 3: splendore infuso corpori crasso.

ingerere verbi cum dativo structura inde a Livii aetate admissa (cfr. Draeger, I p. 390) sicut a Tacito ita ab A. usurpata est XXIII, 6, 77: nec quisquam post satietatem superfluos sibi ingerit cibos; XXX, 1, 19: ipse sese eius (regis) conviviis ingerens (Traianus).

ingignere XXI, 13, 12: per fortitudinem vobis ingenitam; XXX, 4, 22: hoc ingenitum est paene litigantibus cunctis, ut.

ingurgitare XV, 11, 16: paludi sese ingurgitat (Rhodanus) nomine Lemanno.

inhaerere verbo a Cicerone cum dativo et praep. „in" c. abl., perraro „ad" usurpato A. ut Livius (cfr. Kuehnast p. 136) dativum coniunxit. Positum est 1) proprie XX, 3, 5: si (sol et lunaris globus) — articulis ipsis inhaeserint. 2) translate = operam dare, incumbere XXI, 13, 11: tempore, quo confundendis rebus pertinaciter Magnentius inhaerebet.

inhiare verbum A. usum dicendi scriptorum inde a Ciceronis aetate secutus cum dativo copulavit XXVI, 7, 9: promissis uberrimis inhiantes; XXXI, 5, 14: sobria vetustas — nec ambitiosis mensis nec flagitiosis quaestibus inhiabat; 14, 3: lucra, quibus inhiabant; 16, 4: copiarum cumulis inhiantes amplissimis. Passive XXX, 4, 15: qui cum — inhiandae undique pecuniae sese dediderunt.

iniectare verbo adnectitur 1) praep. „in" XIIII, 2, 2: seseque suspensis passibus iniectantes in scaphas. 2) dativus XIIII, 6, 17: omnium prima (Semiramis) velut vim iniectans naturae; XXII, 11, 2: iniectans imperio manus; XXVI, 4, 6: Persarum rex manus Armeniis iniectabat; XXVII, 12, 1: iniectabat (Sapor) Armeniae manum.

inicere verbo A. ut Tacitus et Livius dativum adiecit excepto uno loco, ubi praep. „per" legitur; apud Ciceronem vero praeter dativum saepius praepositio geminata reperitur. 1) Propria notione a) dativus XX, 11, 29: cum altius delatae nubi crassae radii solis infusi lucem iniecerint liquidam;

XXV, 2, 6: radiorum flammas iniectas nubibus densis. b) „per“ XXII, 11, 9: iniectis per crura funibus. 2) translata XXVIII, 1, 3: iniecere (Persae) clausis necessitatem; XXXI, 10, 9: splendore consimili proculque nitore fulgentes armorum imperatorii adventus iniecere barbaris metum.

illacrimare XXII, 9, 4: hoc maxime aerumnis eius inlacrimans (Julianus), quod.

illicere verbo praepositiones coniunguntur, semel „in“ XVI, 8, 4: versabilem feminam — in periculosam fraudem inlexit; semel „ad“ XXI, 2, 4: utque omnes — ad sui favorem inliceret (Julianus).

illucescere XXII, 9, 14: salutare sidus inluxisse eois partibus.

illudere verbum, cui Tacitus dativum et accusativum et Cicero praeterea praep. „in“ admisit, A. semel cum dativo construxit. XVII, 5, 13: cum gestarum rerum ordine placatae sint aurae invidiae, quae nobis multipliciter inluserunt. Haec verba restituit Hauptius (ind. lect. berol. a. 1868 p. 9) ex codicis Vaticani scriptura „num gestarum rerum ordines placatae sint aures invidiae nobis multipliciter inluxerunt,“ quae est corruptissima. Quod autem Cornelissenus (Mnemosyne, N. S. vol. XIV p. 248 sq.) dubius est, latinumne sit illud „aura illusit mihi“, persuasum habeo rationem hanc dicendi non ita mire dictam esse, ut non ferri possit, et tenendum est Ammianum non legibus optimorum scriptorum esse iudicandum. Quare improbo, quod ipse legendum proponit „quae nobis simpliciter insurrexerunt“ etiam a litteris Vaticani nimis recedens.

imminere verbum, cui Cicero et Livius dativum et praep. „in“ c. acc. adscripserunt, apud A. semper dativus sequitur. 1) Proprio sensu = impendere XX, 11, 20: aggestus, qui iam consummati muris altius inminebant; XXIII, 6, 28: eisque (terris) maximae celsitudines imminent montium; 6, 60: cui Ascanimia mons inminet et Comedus; XXIIII, 4, 10: proclivis planicies flumini inminens. 2) translato = instare, minari a) de malis positum XVII, 1, 3: quid fortunis suis immineret anxie cogitantes (barbari); b) de personis XVII, 12, 4: catervasque bellatoris exercitus iugulis

suis inminere cernentes (barbari); 13, 9: eosque imperatori —, acriter inminentes; XXVIIII, 1, 33: ipsi quoque cum cognitoribus principi caedes incendiaque flagitantes furias inminere; 5. 39: quamquam — inmite quiddam barbaricis concrepantibus armis manipuli furentium inminebant; 5. 52: ut — popularibus suis acriter inmineret. = longius operam dare, incumbere XX. 11, 24: cum excidio Phaenichae diutius inminere necessariae rationes urgerent.

immittere verbo Cicero itemque, ut videtur. Livius nonnisi iteratam praepositionem, Tacitus dativum adiunxit; Ammianus vero utramque structuram admisit a) „in“ XV, 7, 3: praefectus — rogabatur —, ne in multitudinem se adrogantem inmitteret et minacem; XVIIII, 11, 16: in medios Sarmatarum globos se inmisit (Cella). b) dativum XXIII, 5. 3: scaenicis ludis mimus cum uxore inmissus. i. e. facultate in scenam prodeundi concessa.

innasci verbo A. ut omnes scriptores latini dativum addidit XVII, 4, 11: moderatori cum iucunditate aculeos quoque innasci debere his signis ostendentes.

innectere verbo A. pariter atque Tacitus dativum coniunxit 1) Proprie XIIII, 7, 15: hirsutis resticulis cruribus eius innexis; XV, 4, 12: multique — eorum (equorum) dorsis videbantur innexi; XVII, 12, 2: plumarum specie linteis indumentis innexae (loricae). 2) translate XV, 2, 4: Arbetio ad innectendas letales insidias vitae simplici perquam callens. Reliquus est locus XXV, 1, 3: Hinc recedentibus nobis longius Saraceni nostrorum metu peditum repedare conpulsi. paulo post innexi Persarum multitudine ocius inruebant, Romana inpedimenta rapturi, verum viso imperatore ad alas subsidiarias reverterunt. Pro „ocius“, quod est in editione Gelenia, codices exhibent „totius“ corruptam scripturam, quam leni medela Guentherus p. 42 mutavit in „tutius“ sententiae aptius quam illud „ocius“. Deinde vero cum eodem Guenthero scribendum esse arbitror „innixi“; nam praeterquam quod traditum „innexi Persarum multitudine“, si grammaticam spectes rationem, vix idem significare potest atque „coniuncti Persarum multitudini“,

ne in sententiam quidem satis quadrare videtur, cum Saracenos cum multitudine Persarum praedam facturos statim imperatore conspecto ad alas subsidiarias regressos esse cogitari nequeat.

inniti verbum A. semel cum dativo personae coniunxit XVI, 12, 38: sibique vicissim innixi. Tacitus praeter dativum, qui optimorum auctorum orationi deest, ablativi quoque structuram, ubi verbo vis translata subest, admisit (cfr. Lehmann p. 40 sq.); eandem esse dandam verbo apud A. vidimus sub verbo „innectere".

innodare XXVIII, 6, 27: innodato gutture laquei nexibus; XXX, 2, 12: innodato gutture laquei nexibus. — nisi vocem „nexibus" pro ablativo accipere praestat.

impedicare verbum ante A. non adhibitum exstat XXX, 4, 18: si quem semel intra retia ceperint, cassibus mille impedicant, ubi tamen fortasse eodem iure de ablativo cogitari potest. cfr. verbum „implicare".

impellere verbo a Cicerone cum praep. „ad" et „in" usurpato A. adscripsit 1) „ad" XXVIII, 1, 30: causam, quae ad exitium praecipitem Aginatium inpulit. 2) „super" XXVIIII, 1, 34: cumque — quisque — ruinam suam inpelleret super alium. Sequente infinitivo vid. Kallenberg, p. 28.

impendere verbum a Cicerone cum dativo et praep. „in" c. acc. positum A. cum dativo iunxit XXX, 1, 5: inpendere sibi praesagiebat exitium grave; XXXI, 1, 3: quae hunc illi inpendere exitum vitae — monstràbant.

impendĕre verbum bis tranlate cum dativo occurrit XXI, 1, 1 Julianus — formandis in futura consiliis dies inpendebat et noctes; XXVIII, 4, 29: hi omne, quod vivunt, vino et tesseris inpendunt.

impertire XXI, 12, 15: raptorum pleraque concorporalibus suis inpertientes (milites); XXX, 2, 4: Sauromaci praesidia militum inpertita.

impingere verbi usus Ammianeus idem est qui Taciteus, cum et dativus et praep. „in" inveniatur. Sequitur 1) dativus XV, 3, 10: lateri cultrum . . . . . . casu repertum inpegit. Lacuna, qua locus laborat, nondum certa coniectura expleta

est. Kiesslingius (Fleck. J. f. Phil. 103 p. 502) „sinistro“ inserendum proponit. XXIIII, 4, 15: tela rigentis ferri lapsibus inpacta. 2) „in“ XIIII, 5, 8: districtum mucronem in proprium latus inpegit (Martinus); 9, 6: linguam suam cum cruento sputamine in oculos interrogantis Cyprii regis inpegit. — Contra Cicero verbo semper dativum apposuit.

imprecari verbum idem valens quod „exsecrari“ cum dativo legitur XIIII, 11, 16: temeritati suae subinde flebiliter inprecatus.

imponere verbo a Cicerone et Livio cum dativo et praep. „in“ c. acc. usurpato Ammianus rationem Taciteam secutus dativum coniunxit, excepto uno loco, ubi ablativus legitur. Sequitur verbum 1) proprie positum a) dativus XIIII, 7, 4: vehiculoque inpositam (muliebrem); 8, 15: exuviae classi inpositae; 11, 12: capiti Thoracis aurigae coronam inposuit ut victoris; 11, 20: inopinum carpento privato inpositum (Caesarem); XVI, 5, 10: clitellae bovi sunt inpositae; XVII, 1, 4: Caesar — navigiis modicis et velocibus octingentos inposuit milites: 4, 14: inpositus (obeliscus) navi; ibidem: chamulcis inpositus (obeliscus); 8, 2: bucelatum — umeris inposuit libentium militum; 9, 1: munimenta — superciliis inposita fluminis Mosae; 13, 17: inpositi lintribus — velites expediti; XVIII, 5, 3: lembis inpositus (Antoninus) cum omni penatum dulcedine; 6, 10: inpositum (puerum) equo; XVIIII, 7, 5: hostiles ballistae ferratis inpositae turribus; 11, 11: equo veloci inpositus (princeps); XX, 4, 17: inpositusque scuto pedestri; 4, 18: torquem — capiti Juliani inposuit; 11, 21: inpositorum aggeribus tormentorum; XXI, 9, 7: iumentoque inpositus (Lucillianus) repentino; 12, 9: ligneas turres — inposuere trigeminis navibus; 13, 7: vehiculis; publicis inpositum — militem; XXII, 2, 3: quem (Titprolemi currum) — aeriis serpentibus et pinnigeris fabulosa vetustas inponit; 8, 42: vilesque supellectiles plaustris inpositae: 11, 10: dilaniata cadavera peremptorum camelis inposita; 12, 6: milites — umeris inpositi transeuntium; XXIII, 4, 5: muro saxeo huiusmodi moles inposita; 4, 6: lapide rotundo fundae inposito; XXIIII, 1, 5: civitatem —

Duram — marginibus amnis inpositam; 1, 6: cum expeditis mille inpositis navibus; XXVIIII, 4, 5: carpento veloci inpositum regem; 5, 20: e quibus unus torquem pro diademate capiti inposuit Firmi; 5, 55: camelo necati cadaver inpositum; 6, 7: eam (filiam Constanti) iudiciali carpento inpositam; XXX, 4, 11: velut vinculis ori inpositis; XXXI, 2, 18: carpentis civitates inpositas; 4, 5: navibus ratibusque et cavatis arborum alveis agminatim inpositi; 10, 21: super corona capiti inponenda. b) ablativus XXX, 10, 5: Cerealis — eundem puerum lectica inpositum duxit in castra. 2) translate XXIIII, 1, 1: Julianus summae rei finem inponendum maturiu credens; XXV, 9, 2: orabant ne inponeretur sibi necessitas abscedendi; XXVI, 10, 14: nec modus ullus exitialibus malis inpositus quam. = nomen indere XIIII, 8, 6: quae (nomina) isdem (urbibus) ad arbitrium inposita sunt conditoris. = praeficere XVII, 13, 24: isdemque — non ignobilem quempiam regem — inposuit (Constantius).

irretire XV, 5, 32: quibus (calumniis) factione iniquorum inretitus est absens, ubi ablativus quoque intellegi potest.

inserere verbo sicut Tacitus ita A. dativum ubique adscripsit, cum Cicero praepositionem quoque geminatam admiserit; Livius vero non nisi praepositionibus „in" vel „ad" videtur usus esse (cfr. Kuehnast p. 136). Posuit verbum proprie XIIII, 6, 15: nomenclatores — mercede accepta lucris quosdam et prandiis inserunt subditicios ignobiles et obscuros; XV, 3, 5: Mercurius — epulis coetibusque se crebris inserens; XX, 11, 23: prunas — aggesti inseruere iuncturis; XXVI, 8, 8: claustrum per catenam ferream valde robustam ori portus insertum; XXVIIII, 1, 26: calceo inserit (Salia) pedem; XXXI, 2, 5: obsoleti coloris tunica collo inserta; 16, 6: crinitus quidam — agmini se medio Gothorum inseruit. Translate = addere XXII, 12, 2: ornamentis inlustrium gloriarum inserere Parthici cognomentum ardebat (Julianus).

inserere verbi passiva forma = innatus exstat XXVI, 6, 17: insita plerisque vulgarium novitatis repentina iucunditate.

Cicero promiscue dativum et praep. „in" c. acc. et c. abl. exhibuit.

inserpere verbum semel translate usurpatum dativus sequitur XXXI, 10, 18: dum etiam tam lanugo genis inserperet speciosa.

insinuare verbum a Livio indeque ab eius aetate saepissime cum dativo constructum etiam apud A. dativum assumit XXV, 8, 12: provinciarum militiaeque rectoribus insinuare novi principis scripta. Contra Cicero uno loco excepto, ubi dativum personae exhibet, praepositionem iteravit.

instare verbi structuram A. ad rationem omnium fere scriptorum applicavit, cum ubique dativum posuerit. Propria vi a) = in loco aliquo stare XXVI, 8, 9: primi transtris instabant armati. b) = subsequi XXVI, 8, 3: instantem vestigiis hostem. Admixta est „hostiliter appropinquandi" notio XX, 7, 5: Persarum populus omnis — instabat vi magna resistentibus oppidanis. „Instabat" e Gelenii editione saepius veram lectionem suppeditante assumptum Gardthausenum suo iure in ordinem verborum inseruisse persuasum habeo, cum nexui sententiarum aptissimum videatur magisque placeat quam Accursii lectio „dimicabat" Eyssenhardtio probata. Codicum VP scriptura „dicabat" corrupta est. 11, 23: dumque Romani nunc instant cedentibus oppidanis. Notione translata a) = invehi in aliquem, instigare, urgere α) dativus personae XVI, 6, 1: instabatque ei (Arbetioni) strepens inmania comes Verissimus; XXV, 7, 10: adulatorum globus instabat timido principi. β) rei XVII, 9, 4: cum ultimis hostium fatis instamus. b) = incumbere, operam dare XVIIII, 1, 6: eruendae urbis apparatu nisibus magnis instabat; XXII, 7, 7: cum corrigendis civilibus ita diligenter instaret (Julianus); XXIII, 1, 3: cum itaque rei idem fortiter instaret Alypius.

insultare verbum a Cicerone cum praep. „in" c. acc. et cum dativo positum Ammianus [1]) ubique cum dativo etiam a Livio

[1]) Errat igitur Draegerus, II p. 350, cum verbum „insultare" etiam ab Ammiano cum accusativo coniungi dicat.

usurpato (cfr. Kuehnast p. 136 et 138) construxit; Tacitus vero verbo nonnisi accusativum admisit. Loci sunt hi XIIII, 9, 6: temporum iniquitati insultans (Eusebius); XVI, 12, 61: cineribus Galliarum insultans (Chonodomarius); XXIIII, 7, 7: insultantesque nobis — Persae; XXV, 3, 16: dolores omnes ut insultant ignavis; XXVI, 3, 4: nulli vel admodum pauci — vigori publico insultarunt; XXVII, 12, 4: ut arbitrio se monstraret insultare nostrorum.

intendere verbo a Cicerone et Livio (cfr. Kuehnast p. 136) cum dativo et praep. „in" et „ad" adhibito A. easdem fere structuras adscripsit, nisi quod uno loco praep. „in" c. abl. posuit. Verbum finitum dativum assumens legitur 1) proprio sensu XVIII, 4, 2: Comitatensis fabrica — imperatori suspicaci ac timido intendebat Ursicinum velut vultus Gorgonei torvitatem. 2) translato XV, 7, 8: super his intendebantur ei (Athanasio) alia quoque a proposito legis abhorrentia. Alias participium perfecti invicem adiectivi usurpatum exstat, quod connectitur 1) cum dativo XIIII, 6, 1: huius (vini) avidis usibus vulgus intentum; XV, 4, 8: vulneribus declinandis intenti — milites, quod repetitur XVI, 12, 49: XXI, 2, 4: haruspicinae auguriisque intentus (Julianus); XXII, 10, 1: iudicialibus causis intentus (Julianus); XXIIII, 4, 17: apparatu operum et studio proeliandi intento: XXVII, 9, 1: barbarica rabies, per procursus audentiores et crebris caedibus et rapinis intenta: XXVIIII, 6, 12: iugulo eius (Aequitii) intenti; XXXI, 10, 17: quem (imperatorem) Lentienses intentum iugulis suis — contemplantes; 11, 5: globos raptui(que) intentos. 2) cum praepositionibus a) „ad" XX, 9, 1: intentique (legati) ad viandum: XXIIII, 5, 7: prohibitoribus acriter ad resistendum intentis; XXVIII, 1, 55: iudex — ad id ipsum solum, quod promisit, intentus; XXXI, 5, 9: praeter ducem infaustum, qui ad id solum intentus, ut. „Intentus" pulcherrima emendatio Gardthauseni est pro librorum scriptura „inventus", quae languet multoque minus apte dicta est. b) „in" α) cum accusativo XXI, 4, 1: in unum omni cogitatione intenta. β) cum ablativo XVI, 10, 4: omnium oculis in eo contuitu

pertinaci intentis. „In eo“ Guentherus p. 18 sq. corrigendum censet in „in eum“, cum eiusmodi structura ab elocutione Ammianea aliena sit. Quamquam sane nullum exemplum, quo locus fulcitur, mihi praesto est, tamen contra codicum fidem nihil mutarim, cum libri Ammiani pleni sint sermonis proprietatum ab aliorum scriptorum ratione dicendi abhorrentium et haec structura haud ita sit mira, ut non analogia aliorum verborum defendi possit.

intentare verbum A. communi usui applicavit, posuit enim ubique dativum; Livius etiam praep. „in“ c. acc. praebet. Omnibus locis translate usurpatum est ad notionem verborum „minari, inferre, offerre“ acceddens XV, 5, 37: Dionysium intentasse poëtae Philoxeno mortem; XVI, 2, 12: eique iam adventanti (Juliano) Germanorum manus pugnam intentans occurrit, ubi dativus etiam ad vocem „intentans“ supplendus est; XVII, 5, 14: formidines, quae nobis intentantur ex more; XXIIII, 6, 8: motuque inmanium corporum propinquantibus exitium intendebant (elephanti).

intimare 1) proprio sensu XV, 4, 4: nec contagia deinde ulla perpetiens oceani gurgitibus intimatur; XXII, 8, 40: Borysthenes — mari praeruptis undarum verticibus intimatur. 2) translato XXI, 11, 1: Haec et talia cogitanti (Juliano) — nuntius metuendus intimatur et insperatus; XXVIII, 3, 8: ut — vicinarum gentium strepitus nostris ducibus intimarent.

intonare XX, 7, 14: Trepidis deinde superatorum auribus ululantium undique Persarum intonante fragore.

invehi verbum ut apud Ciceronem (cfr. Augustin p. 18) cum dativo locum, in quo quis vehitur, significante iungitur XXIIII, 4, 8: alii — alveis arborum cavatarum invecti; XXVIII, 4, 18: si a lacu Averni lembis invecti sunt pictis Puteolos, simul directione accusativo nominis urbium „Puteolos“ addita; XXX, 1, 10: residui omnes equis invecti natantibus.

invidere verbi futurum passivum transitive adhibitum est XVII 4, 3: ut opes exinde raperet (Cambyses) invidendas. De eiusdem verbi structuris apud Livium et Tacitum vide Lehmann progr. p. XV sq.

invitare verbum cum praep. „ad" legitur XVI, 8, 9: quidam agens in rebus — ad cenam — invitatus; XXI, 4, 3: ad quod (convivium) erat etiam Philagrius invitatus; XXV, 8, 18: invitabatque (Jovianus) ad convivia subinde militares; XXX, 1, 9: ad prandium — invitavit (Traianus) sc. Param.
interesse verbum ut ubique in bona latinitate = adesse cum dativo legitur XXXI, 7, 5: ne ferventibus proeliis interesset. Semel, ubi ad vim „differre" verbi accedit, praepositio geminata est XXV, 4, 6: inter hunc (Julianum) et quosdam principes multum interesse.
introducere verbum praep. „in" asciscit XVIIII, 12, 11: Andronicus — in iudicium introductus.
intromittere sequitur 1) „in" XIIII, 1, 6: intromissi per porticas in regiam; XXII, 5, 3: Christianorum antistites — in palatium intromissos; XXVIIII, 1, 25: intromissi (legati) in consistorium, quae verba redeunt XXX, 6, 2., 2) „ad" XIIII, 7, 4: ad palatium — intromissa (mulier).
occurrere verbum legitur 1) propria vi XIIII, 2, 20: effusae legiones — isdem impetu occurrere veloci; 2, 17: quibus occurrere bene pertinax miles explicatis ordinibus parans; XVI, 2, 12: eique iam adventanti (Juliano) Germanorum manus — occurrit; 12, 6: populosis gentibus occurrere cogebatur (Caesar); XVII, 8, 2: ut — barbaris occurreret (Julianus) imperator; 8, 3: cui (Juliano) — occurrit legatio; XVIII, 8, 8: ambigentes cuinam deberet aut posset occurri; 8, 11: Mihi — Verenni anus — occurrit; XVIIII, 5, 6: quibus occurri deberet; XX, 4, 12: isdemque adventantibus in suburbanis princeps occurrit; XXI, 16, 1: nec occurrebat magistro equitum provinciae rector; XXII, 15, 26: occurrunt eaedem volucres pinnatis agminibus anguium; XXIII, 6, 50: Internis vero pergenti occurrunt Hyrcani; XXV, 1, 16, occursuros hosti maniplos; 10, 6: ei (principi) reversi Procopius notarius et Memoridus tribunus occurrunt; XXVI, 5, 9: Alamannis — occursurum Dagalaifum pergere mature praecepit; 8, 4: Arintheum lectissimum ducem occursurum hostibus misit (Valens); XXVII, 1, 2: horum (Alamannorum) portioni primae Charietto — occursurus cum milite egreditur; 2, 10:

redeunti (Jovino) Parisios — imperator laetus occurrit; XXVIII, 5, 10: occurrere pavidis; XXVIIII, 5, 47: utrimque occursurae sibi ad confligendum processerunt acies minacissimae; XXXI, 12, 3: imperator — isdem (barbaris) occurrere festinabat. 2) translata XIIII, 11, 2: huic sententiae versabilium adulatorum refragantis globis — id occurrebat; XV, 8, 7: huic igitur malo — occurrerit nostri vestrique consulti suffragium; XXI, 13, 7: militem, inminenti casus atrocitati velocius occursurum; 13, 14: ut turbinibus excitis occurramus; XXIIII, 4, 4: occurrit ictibus erectum altius scutum; 7, 8: nec occurri poterat hostis adventicii motibus; XXVII, 9, 10: cum aviditati multorum ex libidine trutinas conponentium occurri nequiret; XXXI, 12, 2: occursum est huic conatui conpetenter.

offerre verbo a Cicerone praeter dativi structuram pluries cum praep. „ad“ et „in“ usurpato A. ut Livius Tacitus multique alii scriptores semper dativum coniunxit. Exhibetur verbum 1) sensu proprio XIIII, 1, 3: oblato pretioso reginae monili; 4, 4: dotis nomine futura coniunx hastam et tabernaculum offert marito; 6, 24: ad nuptias ubi aurum dextris manibus cavatis offertur; XV, 5, 5: Hunc fascem — praefectus imperatori - censuit offerendum . . . Post haec verba exstat lacuna nondum suppleta. 5, 9: quas (litteras) obtulerat principi per praefectum; 5, 18: ingresso (Ursicino) consistorium offertur purpura; XVI, 12, 65: Chonodomarium sibi iussit (Julianus) offerri; 12, 70: sibique oblatum falso iudicat Chonodomarium; XVII, 10, 5: ut — offerrent sibi (Caesari) captivum; XVIII, 6, 16: oblatus (miles) duci; XVIIII, 9, 7: regi oblatus (Crangasius); XX, 7, 3: ut — supplices victori gentium semet offerrent; XX, 8, 18: His litteris iunctas secretiores alias Constantio offerendas — misit (Julianus); 9, 7: principi - scripta iubetur (Leonas) offerre; XXI, 9, 7: principi ut captivus offertur ignobilis; 16, 11: epistularum fascem — sibi (Marco) oblatum; 16, 21: eique (Joviano) vehiculo insidenti — annonae militaris offerebantur indicia; XXII, 14, 6: digresso (Juliano) offeruntur rectoris Aegypti scripta; 14, 7: necatur choragio pari bos

femina — quae ei inventa cum notis certis offertur. Haec verba restituit Hauptius (ind. lect. berol. 1874 p. 9) pro codicum depravata scriptura „necatur horago arei bos femina inventa etc.“, praeterquam quod iam editores post Salmasium post verba „bos femina“ inseruerunt „quae ei“. Sed rectene se habeat emendatio, mihi dubium videtur, cum nullum omnino choragium in ipso Api necando significatum esse Madvigius (advers. crit. ad script. Graec. et Lat. III p. 262) iure moneat. Madvigius ipse legendum coniecit „necatur propago; par enim ei bos femina inventa cum notis certis offertur“. Sed itane Ammiani verba integra sint restituta, in medio relinquam. XXIII, 3, 6: oblatusque ei (Juliano) equus Babylonius; 5, 8: eique (Juliano) dubitanti quid ferrent, offertur — leo; 5, 11: Maximiano — Caesari — leo et aper ingens — oblati sunt; XXIIII, 1, 10: Saraceni procursatores quosdam partis hostium obtulere laetissimo principi. Pro „partis quidam“, quod in libris traditum et haud dubie vitio infectum est, omnes editores praeter Eyssenhardtium „quosdam“ textui inseruerunt in editionibus Gelenii et Accursii scriptum sensumque praebens optimum. Quare non est, quod cum Eyssenhardtio corrigas „partis cuiusdam“. 4, 26: quem (Nabdatem) oblatum sibi (imperatori); ibidem: mutum puerum oblatum sibi suscepit gesticularium; XXV, 1, 6: exuviis — Juliano oblatis; XXVI, 9, 9: imperatori offertur (Procopius); ibidem: oblatusque (Perpenna) Pompeio; XXVIII, 4, 10: quidam — adulatoribus offerunt genua svavianda vel manus; 6, 7: creavere (Tripolitani) legatos, Victoriarum aurea simulacra Valentiniano ob imperii primitias oblaturos; XXVIIII, 5, 55: cadaver — Theodosio obtulit exultanti; XXX, 3, 1: Valentiniano — offertur praefecti relatio, XXXI, 4, 4: adulatoribus in maius fortunam principis extollentibus, quod ex ultimis terris tot tirocinia trahens ei nec opinanti offerret; 10, 21: quem — rettulimus — Juliano Caesari — torquem obtulisse. = obviam ire XXX, 5, 1: eique (Valentiniano) regiones adventanti, quas petebat, legatio Sarmatarum offertur. 2) translato XVII, 3, 5: indictionale augmentum oblatum sibi

(Juliano); 12, 11: qui — se(que) cum facultatibus et liberis et coniugibus terrarumque suarum ambitu Romanae potentiae libenter offerebant. Recte in textu posuit Gardthausenus indicativum „offerebant" pro coniunctivo „offerrent" codicibus exhibito; quid sibi hoc loco velit coniunctivus, non video. XXII, 7, 10: ab australi plaga ad famulandum rei Romanae semet offerentibus Mauris; XXV, 9, 4: oblatam — ei (principi) coronam; XXVIII, 1, 35: ne amitteret amplam sibi (Maximino) oblatam lucrandi uberis patrimonii; XXX, 2, 5: Surena — has easdam imperatori offerens partes, quas: et: oblatas sibi regiones in eadem Armenia suscepit (legatio) exiguas; XXXI, 9, 2: erectus prosperitate nimia, quam ei (Frigerido) fors obtulit insperata.

officere verbum usitatam dativi structuram admittens ponitur 1) propria vi XVII, 13, 28: ne struendo textis conpagibus ponti telorum officeret multitudo; XXVIIII, 4, 2: nequi conserendo officeret ponti; 2) translata XXV, 3, 10: quamvis — aestus calescens officeret alacritati membrorum.

obicere verbum apud A. ut in Taciti scriptis cum dativo adhibitum ponitur 1) proprie XIIII, 2, 1: hac — indignitate perciti vehementer —, quod eorum capti quidam consortes — feris praedatricibus obiecti sunt; XV, 5, 23: quamquam ut bestiarii obiceremur intractabilibus feris; XVIIII, 6, 13: per stationes muris obiectas; XX, 3, 2: luna — liniamentis obiecta rectissimis; 11, 24: quod munimentum velut insolubile claustrum hostium excursibus erat obiectum; XXI, 7, 4: Aquitaniae et Italiae obiecta litora; XXII, 3, 9: quem (Arbitionem) primum omnium saluti suae norat (Julianus) obiectum; XXIII, 6, 12: venitur ad Carmaniae sinum orienti obiectum intervallo. Codices praebent „Armeniae", pro quo quin Gardthausenus recte scripserit „Carmeniae", non dubium est (cfr. con. Ammian. p. 27). 6, 66: Anthropophagi et Annibi et Sizyges et Chardi aquilonibus obiecti sunt et pruinis. In omnibus codicibus omnibusque editionibus exstat vocabulum „Alithrophagi", quod auctoritate Ptolemaei nisus Gardthausenus recte mutavit in „Anthropophagi" (cfr. con. Ammian. p. 32). 6, 72: Arachosia — dextrum vergens in

latus Indis obiecta; XXXI, 2, 15: plaga omnis orienti aestivo obiecta. 2) translate idem significans quod „exponere, praebere“, quo sensu Cicero etiam praep. „ad“ admisit. XVII, 11, 2: ut solet amplissima quaeque gloria obiecta esse semper invidiae; XVIIII, 10, 2: tumultuanti acriter populo — obiecit (praefectus) parvulos filios; XX, 8, 6: uti me creatum Caesarem pugnarum horrendis fragoribus obiecisti; XXII, 12, 2: obiectus (Julianus) efferatarum gentium armis. „Effetarum“, quod in codicibus traditum est, sensu caret; quare Eyssenhardtius leni medela usus scribendum esse suspicatus est „efferatarum“, quod admodum placet Kiesslingio (Fleck. J. f. Phil. 103 p. 501) et Gardthausenus in ordinem verborum recepit. Utrum vero „efferatarum“ an, quod vulgo est in editionibus, „efferarum“ melius sit habendum, haud diiudicem, cum utrumque ad litteras traditas aeque prope accedat et in sententiam loci quadret. XXV, 3, 18: ubicumque me velut imperiosa parens consideratis periculis obiecit res publica; XXVI, 10, 8: Euphrasius — itemque Phronemius — arbitrio obiecti sunt Valentiniani. Notio vituperandi verbo subest XXII, 3, 5: Pentadius —, cui id obiectum est.

obiectare verbum ubique ut apud Tacitum cum dativo coniunctum usurpavit A. 1) propria vi XIIII, 11, 17: interfectorumque catervae — correptum eum — uncis furialibus obiectabant; XVIIII, 7, 5: quid exitio ita atroci obiectaretur. 2) Translata vi positum a) idem valet quod „exponere“ XX, 7, 12, periculis obiectavere semet abruptis; XXI, 13, 2: timebat eum (militem) periculis obiectare circummuranis. b) Ad locutionem „alicui aliquid opprobrio vertere“ accedit XXVIIII, 2, 27: cum obiectaretur ei.

opponere verbo A. ut Tacitus dativum adscripsit, cum praeterea Cicero praep. „ad“ et Livius praep. „adversus“ posuerit (cfr. Kuehnast p. 136; Draeger, I p. 389). Legitur 1) proprio sensu XV, 8, 3: quis adnitentibus — obstinate opponebat se sola regina; XVI, 12, 21: cumque — equitatum omnem a dextro latere sibi vidissent oppositum; 12, 34: maiorem exercitus partem primae barbarorum opposuit fronti; XVII,

13, 20: Liberi terras occupaverunt e regione sibi oppositas; XVIII, 9, 2: qua euri opponitur (civitas) flatibus; XVIIII, 2, 3: occidentali portae oppositi sunt Segestani; 6, 5: nos — quid opponi deberet saevientibus ambigentes; 7, 6: sedit consilium — quattuor isdem ballistis scorpiones opponi; XX, 3, 3: cum luna e regione velut libramento quodam igneo orbi et aspectui nostro opponitur media; 8, 16: nec Parthicis gentibus opponenda auxilia hinc acciri conveniet; 11, 11: ni — opponenda minaci machinae praeparassent; XXI, 10, 4: latus vero e regione oppositum Thraciis; 13, 16: Gomoarium, venturis in Succorum angustias opponendum; XXII, 7, 7: quos — excursibus(que) barbarorum oppositos; 8, 3: Melana sinum oppositum Zephyro; 8, 13: Bospori e regione sibi oppositi Thracius et Cimmericus; XXV, 4, 12: ut — Caesar adhuc sine stipendio regeret militem feris oppositum gentibus. Cum „oppositum“ Vaticano in codice scriptum fuisse et multo significantius et sententiarum nexui accommodatius dictum esse videatur quam „adpositum“ ceteris editoribus probatum, illud cum Gardthauseno in textu ponere non dubitem. XXVI, 8, 5: Hyperethium sibi (Arintheo) oppositum; XXVIIII, 5, 38: controversas isdem opposuit manus; XXXI, 7, 2: legiones ab Armenia ductas opposuere vesanum adhuc spirantibus barbaris; 10, 13: murorum obicibus opponendi per legiones singulas quingenteni leguntur armati; 13, 6: magno animorum robore oppositi incumbentibus. 2) translato XXV, 6, 12: quibus (exercitui) oppositus cum rectoribus imperator; XXVII, 3, 15: magnitudine urbis despecta, quam vitiis opponunt, i. e. qua vitia excusant; = aliquem alicui comparandum cum aliquo proponere XVI, 7, 9: verum si forte scrupulosus quidam lector antiquitatum Menophilum Mithridatis Pontici regis eunuchum nobis opponat.

obsecundare XVII, 10, 10: obsecundabant imperiis.

obsequi XIIII, 9, 1: Ursicinus, cui nos obsecuturos iunxerat imperiale praeceptum; XVII, 12, 19: obsequi defensoribus; 12, 21: obsecuturi condicionibus inpositis.

obsistere verbum exstat 1) propie dictum XXV, 1, 18: Persis,

quibus saepe languidis in conflictu artius pes pede conlatus graviter obsistebat. 2) translate XV, 7, 6: imperatoriis iussis et plurimorum sui consortium decretis obsistens (Liberius); XXI, 15, 4: cum novandis rebus imminens obsisteret Jülianus.

ostendere (de praepositionis forma vid. Kuehner I § 210, 21 d) XVI, 10, 2: ut pompam nimis extentam — ostenderet (Constantius) agenti tranquillius populo: XXIII, 4, 12: qualia nobis pictores ostendunt fulmina vel fictores; XXVI, 9, 5: cum — canitiem reverendam ostenderet (Arbitio) multis ad perfidiam inclinatis.

obsurdescere verbo adiecta est semel praep. „ad" XXX, 9, 1: ad querelas in eos (potiores duces) motas aliquotiens obsurdescens; semel praep. „in" c. abl. XVIIII, 12, 5: obsurdescens in aliis etiam nimium seriis.

obtemperare XIIII, 8, 13: obtemperare legibus nostris; 11, 10: Diocletiano et eius collegae — Caesares — obtemperabant; XV, 5, 26: erat enim cautius observandum, ut adpetitus oportunitati optemperarent; XVII, 5, 13: totus orbis Romanus nobis obtemperat; 12, 14: ei — optemperare suis imperiis consueto; XVIII, 6, 20: Corduenae, quae obtemperabat potestati Persarum; XX, 4, 5: tribunus — Augusti iussis obtemperabat; 7, 1: in quorum solo tunc nobis obtemperantium hoc est municipium positum; XXI, 3, 5: quibus — obtemperans Vadomarius; 15, 4: ut — ad obtinendum obtemperare sibi paratum tenderet (Julianus) orientem.

obtendere verbum bis translata vi cum dativo ut apud Tacitum adhibetur XIIII, 7, 4: insidias ei (Caesari) latenter obtendi prodiderat (mulier) a militibus obscurissimis; 11, 7: laqueos ei latenter obtendens.

praebere XVII, 10, 4: ut — militibus alimenta praeberet; XXVI, 5, 7: cum legatis eorum missis ad comitatum certa et praestituta ex more munera praeberi deberent; XXVIII, 6, 12: tribunus et notarius Palladius mittitur, ut — militi disperso per Africam praeberet stipendium debitum; XXVIIII, 5, 52: ad praebendam sibi copiam agendi quae vellet.

praecidere cum dativo personae XV, 12, 3: nec eorum aliquando quisquam — pollicem sibi praecidit.

praecellere verbo, quod a Tacito et plerisque posteriorum scriptorum cum dativo et accusativo adhibetur, A. dativum adscripsit XVI, 10, 14: quantum terrenis divina praecellunt.

praecipere = imperare XXI, 6, 9: cum ei (Helpidio) coram innocentem quendam torquere Constantius praecepissit; XXIII, 3, 5: isdemque praecepit (Julianus)

praedicere XVIII, 3, 2: quae meminerat sibi praedicta; XXV, 10, 17: praedictum est seni; XVIIII, 1, 7: motasque secretis artibus sortes et nuncupationem principis optimi et ipsis consultoribus luctuosos exitus praedixisse.

praeesse verbum legitur positum a) de personis XIIII, 5, 8: quibus praeerat: 11, 19: qui (Barbatio) — domesticis praefuit; XVII, 12, 12: quorum alter Transingitanorum Quadorumque parti, alter quibusdam Sarmatis praeerat; XXI, 1, 8: quibus numen praeesse dicitur Themidis. Huc spectat etiam locus XV, 11, 6: altera (pars) Aquitanis praeerat universis, i. e. altera pars universam Aquitaniam complectebatur. b) de loco aliquo XX, 6, 1: qui regionibus praeerant. c) de negotio XXII, 11, 9: dum aedificandae praeesset ecclesiae; XXIIII, 4, 13: ineundis — conflictibus et defendendis — machinis praeerat imperator; XXVI, 5, 3: Serenianus — domesticorum — praefuit scholae; XXX, 7, 3: comes praefuit rei castrensi per Africam; XXXI, 4, 9: potestatibus praefuere castrensibus homines maculosi.

praeferre XVII, 6, 3: praeferendus (Severus) omnibus modis ante dicto (Rustico Juliano); XXVIII, 1, 32: Maximinum ab Olybrio sibi (Aginatio) praelatum.

praeficere verbum exstat dictum a) de personis XVII, 12, 20: Zizaim regem isdem praefecit; 13, 24: quem (regem) ipsi antea sibi praefecere; 13, 30: Zizaim praefecimus Liberis; XXI, 8, 1: Dagalaifum praefecit domesticis; 16, 3: non nisi pulvere bellico indurati praeficiebantur armatis; XXVIIII, 4, 7: Fraomarium — Alamannorum praefecerat umero; XXX, 2, 2: Aspacures — quem ipse praefecerat genti. b) de loco aliquo XVIII, 5, 5: praeficiendus (Sabinianus) eois partibus; XXI, 10, 2: isdemque (Succis) tuendis Nevittam praefecit ut fidum; 10, 6: Pannoniae secundae consularem

praefecit; 12, 24: Maximum urbi praefecit aeternae; 13, 13: Julianus, quem — tuendis praefecimus Galliis; XXII, 7, 6, quem (Praetextatum) — Achaiae proconsulari praefecerat potestate; XXVII, 12, 4: quem (Sauromacem) auctoritas Romana praefecit Hiberiae. c) de negotio aliquo XIIII: 11, 30: haec fortuna mutabilis — Dionysium — Corinthi litterario ludo praefecit; 11, 33: alter insperatae praeficitur potestati; XXII, 3, 9: cum Arbetionem — his quaestionibus praefecisset (Julianus); XXIII, 2, 3: Heliopoliten quendam Alexandrum Syriacae iuris dictioni praefecit; XXVI, 4, 2: Valentem fratrem stabulo suo cum tribunatus dignitate praefecit. Praeterea adnotaverim locutiones illas sollemnes cum „praefectus“ voce formatas, quae partim in genetivo partim in dativo positae occurrunt. 1) Dativus invenitur in formulis a) „praefectus praetorio“ XIIII, 1, 10; 10, 4; XV, 5, 4; XVI, 8, 5; 8, 13; 9, 2; 12, 14; XVII, 3, 2; 3, 4; 5, 12; XVIIII, 12, 6; XX, 8, 14; 9, 5; 11, 3; XXI, 6, 5; bis; 9, 4; 12, 20; XXI, 12, 25; 16, 2; XXII, 3, 1; 3, 4; 3, 6; 6, 2; XXIII, 5, 17; XXVI, 7, 4; 7, 6; XXVII, 3, 5; 7, 1; XXVIIII, 1, 10; 1, 23; 6, 9; XXX, 2, 11; 4, 2; 5, 11; b) „urbi praefectus“ XIIII, 11, 14; XVI, 6, 2; XVII, 11, 5; XXI, 10, 6; XXVIII, 1, 8; 1, 22; 1, 24; 1, 27. Uno loco XXVII, 7, 3 in hac locutione genetivi forma „praefectus urbis“ usus est. Apud Tacitum in utraque dicendi formula modo allata semper genetivus usurpatus deprehenditur (cfr. Lehmann, dissert. p. 54). 2) Genetivus exstat in hisce locutionibus XXVIII, 1, 9: ut examinandum iurgium praefecto mandaretur annonae, et 1, 31; XXVII, 12, 5; horum alter ante gentis praefectus, et XXVIIII, 5, 21; XV, 9, 7: Harpali — Cyri regis praefecti; XXIII, 1, 4: Apronianum Romae decrevit esse praefectum; XXVI, 7, 2: Sophronias — praefectus Constantinopoleos; 7, 4: Constantinopolitanae urbis praefectus; XXIII, 5, 4: Sallusti Galliarum praefectus; XXIIII, 1, 9: Pusaeus eius (munimenti) praefectus; 2, 21: Mamersidis praesidiorum praefectus.

praefigere XXII, 8, 34: caesorum capita fani parietibus praefigebant.

praelucere XVIII, 6, 15: praelucere sebalem facem duci lenius gradienti Persae credentes; XXII, 8, 8: promuntorium Ceras praelucentem navibus vehens constructam celsius turrim; 16, 9: praelucendi navibus.

praeminere verbo apud Tacitum cum accusativo iuncto A. praep. „inter“ apposuit XXVIIII, 2, 16: inter quos omnes — noster Hypatius praeminebat.

praeparare XXI, 11, 3: futurae concertationi praeparabant utilia. ubi tamen dativus etiam de voce „utilia“ dependens cogitari potest.

praeponere verbum ubique tralata vi adhibitum legitur a) de personis α) cum dativo XXVI, 5, 3: Aequitius Illyricano praeponitur exercitui. Reliquis locis „praepositus“ vox exhibetur, quae, prout participii aut substantivi vim habet, cum dativo aut genetivo connectitur. β) cum genetivo XVII, 6, 3: Nevitta — equestris praepositus turmae; XXI, 4, 3: viso praeposito militum ibi degentium; XXVI, 6, 7: Petronius, ex praeposito Martensium militum promotus repentino saltu patricius. b) de munere α) cum dativo XXVIIII, 2, 7: cubiculariis officiis praepositus (Heliodorus). β) cum genetivo XIIII, 6, 17: praepositis urbanae familiae suspensae digerentibus sollicite; 9, 7: Tyrii textrini praepositum; XXII, 11, 9: Dracontius monetae praepositus; XXVIIII, 3, 4: praepositum fabricae; XIIII, 10, 5: Eusebius praepositus cubiculi, quae locutio redit XIIII, 11, 2; 11, 21; XV, 3, 2; XVI, 7, 2; 7, 6; 8, 13; XVIII, 4, 3; XX, 2, 3; 8, 19.

praeripere cum dativo personae XVII, 5, 6: Armeniam —, avo meo composita fraude praereptam, rei XVII, 5, 12: nihil pudori nostro praereptura (pax) vel maiestati.

praescribere XV, 11, 18: quae (intervalla) ei (Rhodano) natura praescripsit; XXV, 10, 12: praescriptus vitae finiendae dies.

praeseminare verbum a posterioris aetatis scriptoribus demum usurpatum cum dativo personae legitur XXX, 2, 1: Sapor — maiora sibi praeseminans.

praesidere verbi structura apud A. eadem est atque apud optimos scriptores latinos. positus est enim ubique dativus, cum Tacitus verbo etiam accusativum adiunxerit (cfr.

Lehmann, diss. p. 55). Loci sunt hi XIIII, 11, 25: partilibus praesidens (numen) fatis; XV, 7, 8: cui (legi) praesidebat (Athanasius); XVII, 12, 21: iudices variis populis praesidentes; XVI, 2, 8: cui (exercitui) praesidebat — Marcellus: XXVI, 7. 5: Julius — copiis militaribus praesidens; XXVII, 1, 2: qui (Severianus) apud Cabillona Divitensibus praesidebat et Tungricanis

praestare verbo 1) idem valenti quod „superare, antecedere", qua vi praeditum apud Livium aliosque scriptores quartum quoque casum assumit, A. ut Cicero nonnisi dativum apposuit (cfr. Draeger, I p. 352; Kuehner II p. 245). XVI, 1, 2: quia igitur res magnae — multis veterum factis fortibus praestant; 5, 12: imperatorem mitissimi animi legibus praestare severis decet. „Severis" est emendatio Kellerbaueri (Blaett. f. d. Bayer. Gymn. 1871 p. 15) pro vocabulo „caeteris" codicibus exhibito, quod est ineptum, cum imperator pars legis vel lex ipsa esse nequeat; XXIII, 6, 26: quibus (fluviis) praestant Orvates et Harax et Mosaeus; 6, 39: quis omnibus (civitatibus) praestant Zombis et Patigran et Gazaca. 2) = dare, praebere XV, 10, 7: quietem genti praestitit sempiternam; XXVIII, 6, 17: ut ei (Palladio) tamquam potenti et palatii summatibus proximo stipendii — praestarent maximam partem. Eodem sensu semel praep. „ad" cum gerundivo invenitur XXII, 9, 5: ad reparanda, quae terrae subverterat tremor, abunde praestitis. 3) Impersonaliter dictum est = satius, melius est XXVI, 10, 13: quibus — vel denas animas profundere praestabat in pugna quam.

praestituere verbo dativus finali sensu additur XIIII, 3, 4: praestitutis celebritati diebus; 9, 3: die funestis interrogationibus praestituto; XVIII, 5, 2: adlapsuro iam praestituto die solvendae pecuniae.

praetendere verbum translate cum dativo positum est XXVI, 10, 10: ubi — consiliis impiis iura — praetenduntur et leges.

praeterinquirere verbi ab Ammiano novati altera praep. „in" geminata est XV, 5, 12: statuit imperator dispicientibus consistorianis et militaribus universis in negotium praeterinquiri.

prodere XXVIII, 3, 8: Areanos — convictos — quae apud nos agebantur, aliquotiens barbaris prodidisse; XXVIIII, 5, 45: per multas prudentesque sententiarum vias eundem sibi prodi posse sperabat.

prodesse XVI, 3, 2: pacem — rei publicae interim profuturam; 5, 14: quod profuerit (Julianus) anhelantibus extrema penuria Gallis; XX, 8, 11: cum animo disputans haec statui Romano prodesse, nobisque; 10, 2: hoc prodesse possessoribus finitimis arbitratus (Julianus); XXI, 7, 6: ut sibi prodesse existimabat Constantius; 10, 5: quo (oppido) inpraepedite cuncta disponeret (Julianus) suis utilitatibus profutura; 13, 10: humanitatem, quam credidi negotiis communibus profuturam; XXII, 2, 2: celeritatem negotiis suis aliquotiens profuisse expertus (Julianus); XXIIII, 7, 4: quas (naves) profuturas pangendis pontibus; XXVI, 8, 14: sibi (Procopio) profuturos; XXVII, 6, 7: haec congrua nobis et profutura; XXVIII, 4, 15: interroganteque musico qui ei (Socrati) poterit hoc prodesse morituro postridie; XXVIIII, 2, 28: ad stomachi remedium prodesse id arbitratus; XXXI, 12, 9: condiciones rei Romanae profuturas.

proficere verbum sequitur 1) dativus XVII, 12, 14: pacem — ei quoque debere proficere; XXII, 11, 6: aedificia cuncta — emolumentis aerarii proficere debent ex iure. 2) praep. „ad“ XXII, 8, 28: proficiens (radix) ad usus multiplices — medelarum; XXIII, 6, 1: textus, ad scientiam proficiet plenam; 6, 67: sericum ad usus antehac nobilium, nunc etiam infimorum — proficiens.

proicere verbum assumit praepositiones a) „ante“ XV, 1, 2: ante pedes proiecit (Apodemius) Constantini (sc. calceos); XVIIII, 5, 5: proiectisque ante pedes pharetris. b) „in“ XXII, 11, 10: cineres proiecit in mare; XXIIII, 2, 12: in Euphratis fluenta proiectae cautes; XXVIII, 1, 3: proiectoque in ignem mobili censu. Exstat locativus XVII, 3, 5: indictionale augmentum oblatum sibi — humi proiecit (Julianus); XX, 4, 10: famosum quidam libellum humi proiecit; XXX, 8, 8: armillas aureas — humi proiectas.

promittere XX, 4, 18: quinos omnibus aureos argentique singula pondo promisit: XXVIIII, 5, 47: quos (Jesalenses) adiumenta et commeatus nostris docuimus promisisse.

propugnare XVIII, 8, 5: tua — excelsa illa fortuna propugnans miseriis meis; XXV, 1, 2: cui (Machameo) propugnaturus Maurus frater; XXVII, 6, 9: castris — propugnabit (Gratianus): XXVIII, 6 23: saluti suae propugnans (Flaccianus): XXXI, 10, 12: rebus caritatibusque suis — omni virium robore propugnabant. Semel verbum induit transitivam vim XVIIII, 11, 3: his propugnare sibi nitentibus potestates.

porrigere (de praepos. forma vide Kuehner I, § 211, 4) 1) = se extendere a) „ad" XIIII, 4, 3: quarum (gentium) — initium — ad Nili cataractas porrigitur; XV, 10, 6: hinc alia celsitudo erectior — ad Matronae porrigitur verticem; XXVI, 1, 9: annique sequentis erit post horam sextam initium porrectum ad vesperam; adverbio „usque" accedente XIIII, 8, 5: orientis — limes — ab Euphratis fluminis ripis ad usque supercilia porrigitur Nili; XXVI, 8, 27: Amazones ad usque Caspium mare porrectae; 8, 42: quae (gentes Scytharum) porriguntur ad usque terras sine cognito fine distentas; XXIII, 6, 11: navigatio ad usque urbem Teredona porrigitur; 6, 64: qua meridiem spectant ad usque Indiam porrectos (Seras) et Gangen; XXV, 5, 6: acies ad usque lapidem quartum porrigebatur; 8, 6: per porrectam planitiem ad usque lapidem septuagesimum; b) „in" XXII, 8, 14: gemini scopuli in vertices undique porrecti diruptos; locutio „in sublime" invicem adverbii usurpata exstat XX, 11, 13: aggerum altitudine iam in sublime porrecta; XXII, 14, 4: in sublime porrectum (Casium montem); XXVIIII, 5, 37: tumulos per anfracta undique spatia in sublime porrectos. 2) = dare, praebere XXI, 5, 12: ut — ei (Nebridio) porrigeret (imperator) dexteram; 9, 8: maiestatis enim insigne non ut consiliario tibi, sed ut desinas pavere porrexi; XXV, 9, 7: quae (Fortuna) — regimenta — consummando iuveni porrexisti.

prosternere verbum secum habet 1) dativum XXIII, 4, 5: cui ligno fulmentum prosternitur ingens. Reliquis locis verbum reflexivam induit vim XXX, 5, 1: pedibusque eius (Valentiniani) prostrata (legatio). 2) praep. „in" a) proprio sensu XVIIII, 2, 15: alii confossi mucronibus prostrati in ora animis in ventum solutis proiciebantur exstincti. In manu scriptis libris post vocem „prostrati" exstat „curam" quod depravatum est. Cum quid scriptor scripserit certo vix erui possit, Gardthausenus in verborum seriem intulit emendationem J. Hermanni (observ. crit. Ammian., diss. Bonn. 1865 p. 17) „in ora", qua recepta sententia loci bona evadit. Nihil vero offendo in verbo „exstincti" idem significante quod verba praecedentia „animis in ventum solutis"; namque memoria tenendum est Ammiani orationem plane diffuseque fluere et esse tumidissimam. Quamobrem non adstipulor Guenthero p. 26 sq. sic scribendum suspicant, „alii — prostrati non iam animis — proiciebantur ut exstincti", qua emendatione praeterea textui maior vis quam licet infertur. b) translato XXVIIII, 1, 34: primo in precem venialem prostratus (Theodorus). Locativi formae leguntur XVII, 8, 5: legatis — humi prostratis; XXII, 1, 2: humique prostrato (milite); 14, 4: conspexit quendam humi prostratum.

portendere XIIII, 7, 7: quaeritatum expresse an ei (Sereniano) firmum portenderetur imperium; XV, 3, 7: non nulli maiorum auguria sibi portendi incogitabili dementia promittebant; XVIII, 3, 1: ei (Barbationi) — discrimen magnum portendi responsum est; XXI, 16, 21: quae et alia horum similia eidem Joviano imperium — portendebant; XXIII, 1, 6: quod adstantes — memorabant consulum seniori portendi nimirum Sallustio; 5, 11: aliena petenti portendebatur exitium; 5, 14: incrementa claritudinis imperatori portendi gloriosa coeptanti; XXV, 10, 17: huic nomini amplissimum magistratum portendi — praedictum est seni.

succidere XXI, 16, 18: ut — rei vehiculariae succideret nervos.

succrescere verbo sicut Cicero et Livius ita A. dativum adiunxit XXIII, 5, 20: ne imperio subcrescerent aemulae. Uno loco praep. „ad" adhibita est XXVIII, 2, 14: eorumque

suboles parva etiam tum, ne ad parentum exempla subcresceret, pari sorte deleta est.

succumbere verbum ubique translata vi positum est XV, 8, 2: succumbere tot necessitatibus tamque crebris unum se — aperte demonstrans; XXV, 3, 16: ne difficultatibus subcumberem arduis; 4, 27: quibus (difficultatibus) succubuere saepissime.

succurrere XIIII, 7, 13: succurrens saluti suae.

subdere verbo ubique ut in libris Livii et Taciti dativus coniunctus est 1) proprie XIIII, 11, 26: eique (Adrastiae) subdidit (fabula vetustas) rotam; XVII, 10, 10; Romanae potentiae iugo subdidere (reges) colla; 2) translate XX, 3, 12: rerumque magnitudini instar exigui subditum puncti; = exponere XIIII, 11, 16: quae (temeritas) eum — arbitrio suddiderat infimorum.

suffigere verbo in eadem locutione dativus subiungitur XVIIII, 9, 2: Adiano comite et tribunis — patibulis sceleste suffixis; XXIIII, 5, 3: corpora — suffixa patibulis; XXVII, 2, 9: regem hostilium agminum — suffixum patibulo.

suffragari XXX, 4, 12: multas tibi suffragari absolutionem lectiones reconditas pollicentur.

suggerere XXII, 15, 5: incrementa — suggerere Nilo; 15, 25: ibis — nidulis suis ad cibum suggerens ova serpentum.

subicere verbo, cui praeter usitatam dativi structuram Cicero praep. „sub" et „pro" et Livius praep. „ad" admisit (cfr. Kuehnast p. 136), A. plerumque dativum ubique a Tacito positum, semel tantum iteratam praepositionem adscripsit. Praeditum 1) propria vi de situ adhibitum est XV, 10, 2: ubi occidentali subiecta est (plaga) sideri; XXII, 8, 37: eius (arcus apex) — residua — subiecta(que) ursae scaelesti; 15, 5: in subiectis septentrioni spatiis. 2) Translata vi exstat a) dativus XIIII, 11, 18: animus — cogitationibus subiectus et curis; XVIIII, 12, 18: ne videantur licentia regi subiecti, non potestate; XXII, 8, 41: quibus (Sindis) subiectum gracile litus. b) „sub" XXVIIII, 1, 33: cumque totius rei notitiam ita signate sub oculis iudicum subiecisset.

subolescere verbum Livio praeeunte A. iterum in usum vocavit XIIII, 11, 3: subolescere imperio adultos eius mussitantes.

suppeditare XXI, 1, 8: substantiales potestates — vaticinia mortalitati suppeditant verba.

suppetere XIIII, 6, 20: quibus (feminis) — per aetatem ter iam nixus poterat suppetere liberorum; XV, 5, 18: cumque nulli ad eligendum quid agi deberet, meus suppetere posset aut lingua; XVII, 9, 6: quod nec ipsi (Juliano) quod daret suppetere poterat; XXIIII, 3, 5: mihi nec facultates nec propinquitas generis suppetit; XXX, 8, 8: magnitudine indigens (Valentinianus) inpensarum, ut militi supplementa suppeterent et inpendium; XXXI, 13, 5: cum — neque vires illis neque mentes suppeterent ad consilium, fine actionis praepositione „ad" addito.

supplicare XVI, 5, 5: occulte Mercurio supplicabat.

subridere XXI, 9, 8: cui (Lucilliano) amarum Julianus subridens. De voce „amarum" loco adverbii posita inspicias Hassenst. p. 9 sq.

subserere verbum 1) proprie adhibitum sequitur a) dativus XIIII, 11, 10: quibus subserebat non adeo vetus exemplum; XX, 3, 8: non numquam ferienti se subserit lanci obiectum metae noctis in conum desinentis angustum. Libri exhibent „lanici", ex quo Kisslingius (Fleck. J. f. Phil. 103 p. 486) recte restituit „lanci", quod vocabulum etiam occurrit XX, 3, 1 idem significans quod graecum „δίσκος". Vulgo legitur „luci". XXVIII, 4, 26: isdemque (peritis iuris) subseruntur genitalium extorum interpretes controversi; XXVIIII, 5, 1: dum negotiis longe discretis et locis alia subseruntur. b) praep. „inter" XXXI, 2, 3: quam (carnem) inter femora sua equorumque terga subsertam fotu calefaciunt (Huni) brevi. Haud dubie recte scripsit Gardthausenus eumque secutus Eyssenhardtius pro depravata codicis Vaticani scriptura „vaporumq" „equorumque". (con. Ammian. p. 43.) 2) translate XIIII, 11, 3: spadones — per arcanos susurros nutrimenta fictis, criminibus subserentes.

subvenire XXVI, 8, 15: ad subveniendum spei rerum extremae.

superesse verbum ubique dativus sequitur. Eandem habet vim atque 1) „reliquum esse" vel simplex „esse" XXI, 2, 2: nihil asperum sibi superesse exstimabat (Julianus); 12, 14:

quibus (prohibitoribus) nihil praeter moenium supererat adiumentum; XXVIII, 1, 37: remedium nullum aliud reis ad obtinendam vitam superesse — adseverabant, ni; XXX, 1, 22: peregrinus cruor in ambitiosa lintea conspersus spumante sanie satietati superfuit convivarum, horrore maximo dispersorum. 2) „superstitem esse", quo sensu Livius nonnumquam praep. „ex" posuit, XXIII, 5, 20: eam (Carthaginem) dux inclytus timuit superesse victoriae; XXVI, 10, 2: si victoriae superfuisset (Serenianus); XXVIII, 5, 7: caedibus concorporalium superesse; XXX, 1, 17: si huic inrisioni superfuerat (Para).

superfundere verbo A. ut Tacitus dativum apposuit, cum Cicero et Livius verbum „se superfundere" cum praep. „in" iunxerint XV, 4, 11: hostibus superfusi.

superponere verbo in usurpando A. cum Livio, qui primus dativum posuit (cfr. Kuehnast p. 137), et Tacito congruit; exhibuit enim plerumque dativi structuram excepto uno loco, quo ablativus occurrit. Exstat 1) dativus XIIII, 11, 25: lunari circulo superpositum (numen); XVII, 4, 15: eique (obelisco) phaera superponitur ahenea; XX, 11, 26: quem (mundum) phaerae dimidiae parti rationes physicae superponunt; XXIIII, 2, 3: templum alti culminis arci — superpositum; XXXI, 14, 8: Erythraeo oppido superpositum montem Mimanta. 2) ablativus XXIIII, 2, 12: arcem, asperi montis interrupta planitie superpositam.

supersidere XVIII, 6, 82: quod supersidere corio damnati ob iniquitatem iudicis iudex alius cogebatur; XXV, 8, 2: alii supersidentes utribus; XXXI, 2, 18: plaustris supersidentes (Halani).

supersistere XXVIIII, 1, 31: ac linteis quidam indumentis amictus — caerimoniali scientia supersistit cortinulae sacerdos pensilem anulum librans. Sic locum restituit Gardthausenus ex corrupta et lacuna infecta scriptura codicis Vaticani „hac linteis quidam — caerimoniali scientia supersistit cortinules . . . . pensilem anulum librans," nam vulgata „hac linteis quidam — caerimoniali scientia supersistit; cortinulis pensilem anulum librans" apto sensu caret, cum praeterquam

quod lacunae quae est in Vaticano ratio non habita est verba „supersistit cortinulae“ inter se coniungenda esse censeam. Etsi quid ad lacunam explendem addendum sit, certo dici nequit, tamen coniecturam Gardthauseni quippe quae conexui sententiarum sit aptissima, comprobarim melioremque esse puto quam Cornelisseni emendationem „supersistit cortinae responsurus“ longius remotam a Vaticani libri litteris.

supervenire verbo, cui scriptorum prosae orationis primus Livius dativum adscripsit, etiam A. nonnisi dativum subiecit XVIII, 6, 8: ne dissimulantes obsidium Persae civitati supervenirent incautae; XVIIII, 6, 7: supervenire ipsi regiae — occulte meditabantur; XXVIII, 5, 10: ut isdem (Alamannis) tempore praestituto supervenirent (Burgundii).

anteferre XVI, 1, 5: quae (rudimenta) anteferri gestis eius postea multis et miris — deberent; XXI, 13, 16: Gomoarium — aliis antelatum; XXVIII, 4, 21: quod ei in maiore convivio vel consessu proconsularis quidam est antelatus.

anteponere = praeferre XV, 5, 27: facilitate aditus honoreque mensae regalis adeo antepositus aliis, ut; 8, 3: omnibusque memorans (regina) anteponi debere propinquum; XXIII, 6, 6: ut — non nisi Arsasides is sit, quisquam in suscipiendo regno cunctis anteponatur; XXVIII, 1, 40: quae (levitas) — acerbitati anteponenda est, qui locus ex Epist. ad Quintum fratrem petitus est. Paulo alia ratio verbo subest XXV, 8, 2: semet quisque reliquis omnibus anteponens, i. e. unusquisque id operam dedit, ut in vita servanda ceteros praeveniret.

antistare verbo A. ab ratione nonnullorum posterioris aetatis scriptorum accusativum usurpantium discedens dativum apposuit ex analogia Ciceronis (cfr. Seyffert, Vorrede zu seiner lat. Grammat. 5. Aufl. p. 7). Locos inveni hos XVII, 5, 5: splendore virtutumque insignium serie vetustis regibus antistantem; XVIIII, 1, 7: adulescentem — proceritate et decore corporis aequalibus antestantem; XXI, 6, 4: corporis morumque pulchritudine pluribus anstitante; XXVIIII, 1, 8: cunctantibus, quisnam ea tempestate omnibus

vigore animi antistaret; XXXI, 4, 9: quibus Lupicinus antistabat et Maximus.

circumcidere XVIIII, 3, 2: ut amplam omnem adipiscendae laudis decessori suo ardenti studio gloriae circumcideret.

circumflectere XXVIIII, 1, 31: torulo capiti circumflexo.

Cap. V.

Reliquum est, ut ea verba composita afferam, quae apud Ammianum regimen „aliquid alicui" et „aliquem aliqua re" admittunt [1]) et quae etsi saepius maioreque cum licentia apud poëtas reperiuntur, tamen etiam ab optimis prosae orationis scriptoribus hoc modo usurpantur. Quorum verborum structuras si intuemur, dativus ubi legitur quin ad rationem illam localem, quae ceteris verbis dativum requirentibus subest, referendus sit non est dubium. Sin autem alteram structuram contemplamur, notionem horum verborum prorsus aliam esse factam facile cognoscimus, cum aut ad generalem significationem ornandi vel vestiendi se applicuerint aut ad verba simplicia redierint, ita ut nusquam melius perspici, quanta in significatione vis fuerit ad verbi structuram constituendam Oesterberg p. 105 suo iure dicat. Verba huc spectantia inveni haec.

affligere verbum constructum exhibetur 1) cum dativo, quem semper Livius et Tacitus posuerunt VIIII, 5, 6: vinculis membra ingenuorum adfligens; XVI, 1, 5: alibi manus catenis adflixit (Julianus); XVIIII, 11, 12: stipatores — pauci — ponderibus superruentium solis adflicti. 2) cum ablativo XIIII, 2, 1; Nec sane haec sola pernicies orientem diversis cladibus adfligebat; XV, 3, 2: alios verberibus vel tormentis adflictos exulari poena damnarunt; XXII, 16, 9: hoc litus cum — adfligeret antehac navigantes discriminibus plurimis; XXV, 10, 4: curarumque ponderibus diversis adflictum (principem); XXVI, 5, 6: omnisque hic annus dispendiis gravibus rem Romanam adflixit; XXVII, 5, 8: antequam — rem publicam funeribus perpetuo deflendis

[1]) Multa praeterea verba in schedis adnotaveram, quibus solum regimen „aliquem vel aliquid aliqua re" A subiecit; sed ne dissertatio fines excederet, satis habeo id commemorasse.

adfligeret (imperator); 11, 6: semper levibus morbis adflictus (Probus); XXVIII, 1, 3: omnes magnitudine malorum adflicti; 1, 11: omnes — statuit (princeps) tormentis adfligi; 3, 2: castra multiplicibus — damnis adflicta; 4, 9: quorum apud maiores censoria nota senator adflictus est; 4, 16: ut — trecentis adfligi verberibus iubeatur (servus); 4, 25: dispendioque adflictus gravi; XXVIIII, 2, 11: illi — exilio et pecuniariis adflicti dispendiis; 4, 6; intemperantia militis, quae dispendiis gravibus saepe rem Romanam adflixit; 5, 43: gentem — superatam dux nobilis incommodis multis — adflixit; XXX, 2, 7: ut — milites Sauromacis praesidio destinati malis adfligerentur extremis; 5, 14: Sabariam — adsiduisque malis adflictam; 7, 3: multatione bonorum adflictus est a Constantio; XXXI, 11, 6: febribus intervallatis adflictus; XXXI, 13, 16: quidam de candidatis — eos (barbaros) maerore adflixit.

adnectere verbum ubique translate dictum sequitur ut apud Ciceronem 1) dativus, quem semper Tacitus usurpavit XXV, 4, 21: municipalium ordinum coetibus patiebatur (Julianus) iniuste quosdam adnecti. Alias idem quod adiectivum „vicinus" significat XIIII, 2, 4: in Lycaoniam adnexam Isauriae se contulerunt; 8, 1: eiusque (Ciliciae) lateri dextro adnexa Isauria; XV, 11, 10: huic (Belgicae primae) adnexa secunda est Belgica; XXII, 8, 25: super Cercetis, qui isdem (Achaeis) adnexi sunt; XXIII, 6, 64: ab occidentali latere Scythis adnexos (Seras); XXVII, 4, 13: Rodopa huic (Europae) adnexa. 2) „ad" XXVIII, 1, 37: nobiles viros, quibus ad sui societatem adnexis. 3) ablativus XIIII, 6, 9: quas (lacernas) in collis insertas cingulis ipsis adnectunt; XXI, 12, 22: plures muneribus publicis adnectebat (Julianus).

illidere verbum ut Tacitus ita A. cum tertio casu exhibuit a) proprie XV, 8, 15: militares omnes horrendo fragore scuta genibus inlidentes; XVI, 12, 43: clamor — ritu extollitur fluctuum cautibus inlisorum; XVIIII, 6, 4: utque dentatae in caveis bestiae — repagulis versabilibus inliduntur; XX, 11, 29: undae quae litoribus inliduntur; XXII, 8, 2: Lesbo inliditur (Aegaeum mare) violentius; XXIIII, 2, 13:

quae (harundines) corporibus inlisae contrariis; XXVI, 10, 17: perque vada ferventia insulis et continentis terrae porrectis spatiis violenter inlisi (marini fremitus); XXVIIII, 5, 39: parmas genibus inlidentes; XXXI, 5, 9: parmas suppositis corporibus inlidendo; 7, 12: mucronesque acrius resistentium pectoribus inlidentes (barbari); 15, 12: humo — inlisus (Scorpio). b) translate XVI, 12, 32: inlisa nostris partibus probra. Ablativi structura exstat XVI, 12, 13: hastis inlidendo scuta.

illigare verbum a Cicerone cum praep. „in“ c. abl. et acc., a Livio praeter praep. „in“ c. acc. et nudum ablativum fortasse primum cum dativo usurpatum (cfr. Kuehnast p. 135) apud Ammianum duplicem assumere structuram censeo, dativum et ablativum, quamquam a perta dativi forma non cognoscitur. Intellego 1) dativum XVI, 10, 7: dracones hastarum aureis gemmatisque summitatibus inligati; XXV, 1, 15: cultros dexteris manibus inligatos. 2) ablativum XVIIII, 8, 7: calonum quidam — habenam — sinistra manu — inligavit; XXIII, 4, 2: hac multiplici chorda nervorum tortilium inligatus (stilus). Eundem casum accipio XIIII, 3, 1: rege Persarum bellis finitimis inligata; XV, 10, 4: pleraque vehicula vastis funibus inligato; XXII, 9, 8: non nulli — agentes ad usque rabiem, ut adversarios suos laesae maiestatis criminibus inligarent; XXIII, 4, 5: validis nexibus inligatum (fulmentum); XXXI, 2, 9: hostisque — contortis laciniis inligant.

immergere verbo, cui Cicero praep. „in“ adscripsit, A. duplicem admisit structuram 1) dativum XVI, 12, 52; miles — ipsis barbaris tela eorum vitalibus inmergebat; XVIIII, 11, 13: barbarorum — catervis semet inmersit (exercitus); XXVII, 10, 11: ni — legionum se gremiis inmersisset. 2) ablativum XXII, 14, 7: sacro fonte inmersus (Apis).

implicare verbi construendi apud A. duplex ratio ita invenitur, ut dativo et ablativo usus sit. 1) Dativus, cum de personis sit sermo, statuendus videtur esse, quamquam casus forma dubitationem admittit, hisce locis XVIII, 10, 2: infantes matribus implicati; XXXI, 8, 7: implicatos alios matribus

parvulos. 2) ablativus exstat XV, 2, 7: gemino crimine — inplicitum (Julianum); XX, 4, 13: hocque angore inpliciti; XXVI, 5, 15: ne — squaliditate maxima rerum ordines inplicemus. Ceteroquin utrum dativus an ablativus sit accipiendus dubium esse potest XVI, 9, 4: bellis acerrimis Constantius implicatus; XVIIII, 2, 10: strages stragibus inplicatas; XX, 11, 19: quibus (restibus) e muro iactis implicabatur (maior machina); XXIII, 4, 5: nervorum nodulis inplicatur (stilus); XXVI, 1, 12: Romani — obscuris difficultatibus inplicati; 6, 20: adventantium periculorum angoribus implicatus (Gordianus); XXVIIII, 1, 20: vitio gemino perniciose inplicitus (Valens); 5, 26: diversis stragibus inplicati (Mazices); XXX, 4, 13: laborant, ut omnis quies litibus inplicetur. Aliae sunt structurae apud Ciceronem et Livium; ille praep. „ad" et „in" c. abl., hic praep. „in" c. acc. exhibuit (cfr. Kuehnast, p. 137).

imprimere verbo, quod apud Ciceronem cum dativo et praep. „in" c. abl. usurpatum legitur, Ammianus itemque Tacitus dativum solum adiunxerunt. Proprie positum est XVII, 4, 9: ut — ipsi inter epulas post cibi satietatem et potus suis velut alienis corporibus inprimerent ferrum. Translate XXVIIII, 2, 20: Post — inpressas foede corporibus liberis — notas. Ablativi structura invenitur XVI, 12, 48: lassatisque inpressus genibus — barbarus.

inurere verbum bis translata vi usurpatum sequitur ut apud omnes scriptores dativus XXII, 12, 1: audiens (Julianus) gentem asperrimam per sexaginta ferme annos inussisset orienti caedum et direptionum monumenta saevissima; XXVIIII, 6, 8: cuius (regiae virginis) nisi potuisset impetrari captae, magnas inussisset rei publicae clades. Ablativus reperitur XIIII, 5, 6: quod (facinus) Constanti tempus nota inusserat sempiterna.

offundere 1) cum dativo XXV, 3, 10: quamvis offundebatur oculis altitudo pulveris; XXX, 1, 17: offusa sibi (Parae) caligine. 2) cum ablativo XX, 3, 5: offunditur densioribus tenebris caelum; XXI, 13, 7: maerore offusus Constantius; XXXI, 5, 11: negant antiquitatum ignari tantis malorum

tenebris offusam aliquando fuisse rem publicam. Neque hae structurae alienae sunt ab usu optimorum auctorum posteriorumque Livii, Taciti.

obligare 1) dativus XX, 11, 3: obligatus (Arsaces) gratiarum multiplici nexu Constantio. 2) ablativus XV, 5, 33: licet — obligatum gratia retineret (Silvanus) Constantium; XXI, 5, 11: cuius (Constantii) beneficus obligatus erat (Nebridius) crebris et multis; XXVIII, 4, 10: cuius forte etiam gratia sunt obligati.

obtrudere 1) dativus XVI, 12, 43: pulvis — prospectum eripiens arma armis corporaque corporibus obtrudebat. 2) ablativus XXXI, 15, 6: silicibus magnis obstrusae sunt portae.

sufficere verbo ubique ad vim „satis esse“ vel rarius „parem esse“ accedenti A. easdem atque Livius structuras (cfr. Lehm. progr. p. IX) adiecit. Sequitur 1) dativus XVII, 13, 31: quod vobis abunde sufficient ex hostibus captivi; XVIII, 2, 4: commeatnum perferens copiam sufficientem usibus longis; XX, 9, 6: Caesaris potestatem sufficere Juliano censebat (Constantius); XXII, 7, 8: illis (Gothis) enim sufficere mercatores Galatas; XXIII, 5, 19: mihi — pro Romano orbe memet novisse sufficiet; 6, 69: amnis vehendis sufficiens navibus; XXV, 3, 9: cum vires parum sufficerent voluntati; XXVIII, 1, 28: ne velamen quidem secreto membrorum sufficiens; 5, 3: ducens (Severus) militem rei sufficientem; XXVIIII, 1, 44: cum poenis non sufficerent membra; XXVIIII, 4, 5: cui (principi) tapetes . . . . suffecerant pro tentorio. Post vocabulum „tapetes“ in codice Vaticano lacuna octo litterarum indicata est, quae nondum expleta est. Simul „ad“ cum gerundivo vel gerundio adiecto: XXII, 16, 18; ut — pro omni — experimento sufficiat medico ad commendandam artis auctoritatem; XXVIII, 4, 10: id illis sufficere ad beate vivendum existimantes. 2) praepositio a) „ad“ XVIII, 6, 7: Sabinianum — vix sine turpi metu sufficientem ad levem convivii nedum proelii strepitum perferendum; XXII, 15, 16: ad evertendas quoque naves sufficeret (crocodilus) viribus magnis; XXV, 9, 2: ad

defendendos penates se solos sufficere — adfirmantes; XXVIII, 4, 19: sufficientes (vestes) ad induendos homines undecim; XXVIIII, 6, 11: inpensas aedificandi causa theatri dudum congestas sufficientes ad id, quod efficere maturabat, invenit; XXX, 6, 2: id quoque addendo ut sufficiens ad facta purganda firmantes. b) „in" XVIIII, 9, 8: consiliis validis sufficiebat (Antoninus) in cuncta quae conabatur. Ablativi structura deprehenditur XXX, 6, 3: suffectus (imperator) igneo lumine.